VITA ARISTOTELIS.

VITA ARISTOTELIS

EX

CODICE MARCIANO

GRAECE NUNC PRIMUM EDITA.

COMMENTARIO ILLUSTRAVIT

DR. L. ROBBE.

LUGDUNI-BATAVORUM.
APUD J. W. VAN LEEUWEN.
BIBLIOPOLAM.
1861.

PROLEGOMENA.



Quae me, quum multis abhinc annis portum proxime navigarem, rejecerint tempestates, quominus cupienti contractis velis Corinthum adire contigerit, novere ii, qui vitae mihi peractae rationes tenent; nunc sat esto Herodoteum illud: *ὁ χρόνος διέφυ*, praefari, et monuisse, jam *μοι μέγ᾽ ἀναλώσαντι ψυχῆς μόριον* diem, qui mihi suadeat, ut doctoris gradum tandem nunc capessam, illuxisse. Quem consequi ut mihi liceat, Aristotelis Biographiam, ad hunc usque diem ineditam, mihi ut aliquando data occasione ederem a Viro Clarissimo nec minus amicissimo C. G. Cobet concessam, publici facere juris statui. Descripta est ex Codice Marciano Veneto CCC, qui liber passim situ detritus est et lacer et perrosus, ut scateat lacunis, quas omnes diligentissime indicavi et ubicumque fieri potuit explevi.

Simul typis mandandam curavi Latinam Versionem, quam primus edidit P. J. Nunnesius Lugd. Bat.

1631 [1]). Hanc enim, quae vulgo dicitur *versio vetusta Latina* cum nostra inedita Graeca comparans, observavi eam paucis exceptis adeo Graecae nostrae esse similem, ut dubitari vix possit, quin auctor versionis (de quo caeteroquin nihil constat) *nostram* non ausim dicere Latine verterit, sed certe proxime similem, sive vetustiorem, ex qua nostra fuit desumta, sive novam ex nostra conflatam [2]). Interdum integra habet nomina propria, vel annorum numeros, quae in nostra Graeca legi non possunt: saepissime Latina Graece vertendo ita lacunas supplevi, ut spatium in Graeco exemplari vacuum relictum impleant. Alia corrupta apud nostrum,

---

[1]) Cfr. J. Theoph. Buhle. T. I. p. 52. ubi scribit: "Caeterum prodiit haec (sc. Pseudo-Ammonii) vita Aristotelis Graece et Latine una cum veteri translatione et Petri Joannis Nunnesii erudito Commentario Lugd.-Bat. 1631 (cura Lucae Holstenii, ut ipse innuit in libello de vita et scriptis Porphyrii Cap. I) et Helmstadii 1666. In edenda hac Versione V. L. edit. J. Theoph. Buhlii pag. 54. secutus sum. Sed, labore fere peracto, contigit mihi *primam* hujus Versionis editionem inspicere, quam dedit P. J. Nunnesius Lugd.-Batav. anno 1621. *Vita Aristotelis Peripateticorum principis per Ammonium, seu Philoponum, addita vetere interpretatione Latina longe auctiore, nunc primum ex MS. edita, cum copiosis, et eruditis scholiis V. C. Pet. Joan. Nunnesi Valentini. Lugduni Batavorum, apud Joannem Diephorst, anno* 1621.

[2]) Versio vetusta Latina pro parte optime convenit cum biographia Pseudo-Ammonii, sed alia multa addit, quae petita sunt ex nostra inedita, et in hac sola inveniuntur.

ant certa aut verisimili conjectura pro viribus emendare conatus sum. Veram restituere lectionem vel supplere mihi licuit saepe ex ipsis locis apud Aristotelem obviis, quae a nostro biographo citata, ubi de Aristotelis philosophia agit, in Philosophi operibus quaesivi, inveni, et comparavi [1]).

Res postulare videtur, ut hoc loco de variis, quae circumferuntur Philosophi Aristotelis vitae, pauca moneamus.

Nota est vita, quam scripsit Diogenes Laërtius; est *Διογένους Λαερτίου βίων καὶ γνωμῶν τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ εὐδοκιμησάντων τῶν εἰς δέκα τὸ πεμπτόν.*

In adnott. ad Diogenem Laërt. 5. 35. *alteram* primus edidit Menagius, iterum Buhlius, deinde A. Westerman in vitar. Scriptt. p. 398 [2]). Est haec vita, si ipsam spectes Aristotelis historiam, brevissima, et perpauca, quae eo pertineant, continet, sed longam satis librorum, quos scripserit Philosophus, enumerationem, quae clauditur his versibus:

---

[1]) Lacunae, quas supplevi designatae sunt signis his: ˎ ˏ exempli c. pag. 3. lin. 20 legitur ˎ*Ἀριστοτέλης φοιτᾷ Πλάτωνι ἐπ' Ἐ·ὺδ, ὀξου*ˏ, MS. habebat *Ἀριστοτέλης φ*............ *οξου.* Quae habui spuria, notavi inter ⌈ ⌉ exempli c. pag. 5. lin. 10 ⌈*γὰρ.*⌉.

[2]) Vidr. praefatio A. Westerman in nova Philos. vitarum editione, quae curis C. G. Cobet, Ant. Westerman et J. F. Boissonadii prodiit Parisiis editore Ambrosio Firmin Didot 1850.

Σμικρός, φαλακρός, τραυλὸς ὁ Σταγειρίτης,
Λάγνος, προγάστωρ, παλλακαῖς συνημμένος,
'Αναλφάβητος οὑτοσὶ στιγογράφρος,
''Ανους, ἄφρων, ἄγροικος, αὐθάδης, λάλος.

Quos perperam unum epigramma in Aristotelem constituere existimarunt. Inscribitur haec vita Graece *'Αριστοτέλους βίος καὶ συγγράμματα αὐτοῦ*, Latine, ***Anonymi de Aristotelis vita atque scriptis.***

Hac vulgatior et notior est *tertia:* (quae in vitar. Aristotelis enumeratione ordine est *altera*) vulgo dicitur *'Αριστοτέλους βίος κατ' 'Αμμώνιον* [1]). At vero hanc Ammonii nomen esse ementiam, hodie nec

Grammatici certant, nec jam sub judice lis est.

Eam primus edidisse fertur Aldus [2]) cum Ammonii commentario in Categorias anno 1503; vere quidem in tantum, quod haec vita, paucissimis iisque perexiguis exceptis, plane sit ipsis verbis eadem, quae *κατ' 'Αμμώνιον* dicta; sed praefixus *βίος 'Αριστοτέλους* Commentariis Ammonii in Categorias Aristotelis editis apud Aldum Pium Manutium Romanum Venetiis 1503 nullum habet auctoris nomen; hinc fortasse Nunnesius, cum Aristotelis vitam auctore Ammonio Graece et Latine una

---

[1]) In notis ad hanc, quae nunc primum editur, vitam, illam citantes vocavimus eam Arist. vitam Pseudo-Ammonii.

[2]) Vid. Westerman in praef. edit. Parisiensis supra allatae.

cum vetere translatione et commentario ederet [1]), se primum (quod narrat Ad. Stahr T. I. p. 14) vitam *κατ' Ἀμμώνιον* in lucem prodere existimavit, quam Nunnesii mentem refutavit (Vidr. l. c. Ad. Stahr) Jonsius, observans illam *κατ' Ἀμμώνιον* vitam jam dudum antea Venetiis ab Aldo in editione operum Aristotelis fuisse datam annis 1496—1498. Qui vero hanc Aristotelis operum editionem Aldinam (Venet. 1496—1498) inspicere velit, leget istic *βίος Ἀριστοτέλους κατὰ Φιλόπονον*, non vero *κατ' Ἀμμώνιον*, quamvis revera etiam hic *κατὰ Φιλόπονον βίος*, praeter paucissima nullius paene momenti, plane similis sit vulgari *κατ' Ἀμμώνιον* vitae. Potuit igitur *quodammodo* hoc sibi sumere Hispanus ille P. J. Nunnez, ut primus Aristotelis vitam *nomine κατ' Ἀμμώνιον* in lucem ederet: revera autem jam bis ab Aldo, primum annis 1496—1498 nomine *κατὰ Φιλόπονον*, iterum anno 1503, sed tum sine nomine, edita fuerat. Etenim si quis nunc duas has commemoratas cum nota *κατ' Ἀμμώνιον* vita contulerit, statim videbit eas esse unam eandemque Pseudo-Ammonii vitam. Sic enim se habet res. Qui Aristotelis operum codices vitam Philosophi referunt, horum alii iique vetusti eam exhibent sine ullo nomine, alii eandem nomine *κατ' Ἀμμώνιον*, alii et iterum eandem, licet numero fortasse haud ita

[1]) Vide supra not. 1. pag. VIII.

multi, nomine *κατὰ Φιλόπονον*. Scilicet scripserat hic Joannes *Φιλόπονος* commentaria in categorias Aristotelis, ut indicat titulus praestantissimi codicis Vindobonensis: *Ἰωάννου Γραμματικοῦ Ἀλεξανδρέως τοῦ Φιλοπόνου ἐκ τῶν συνουσιῶν Ἀμμωνίου τοῦ Ἑρμείου σχολικαὶ ἀποσημειώσεις εἰς τὰς Ἀριστοτέλους δέκα κατηγορίας*. Hinc factum videtur, ut vitam, quam sine auctoris nomine circumferri viderent, tribuerint alii Joanni *Φιλοπόνῳ*, alii Ammonio, cui vulgo etiam in codicibus attribuuntur commemorata in Categorias Commentaria. Sed, ut supra diximus, quam nunc *κατ' Ἀμμώνιον* legimus vitam, eam haudquaquam conscripsit Ammonius; cur huic sit abjudicata afferre rationes, cum de iis inter omnes conveniat viros Doctos, hujus loci esse nequit: hoc fortasse monendum easdem valere etiam de Joanne Philopono. Consarcinavit eam igitur ignarus aliquis Graeculus, et rerum et linguae imperitus, sed hoc fortasse merito statuere licet Graeculum istum veram Aristotelis ab Ammonio conscriptam habuisse vitam, quam de suo misere corruperit et vero deturpaverit.

Praeter illas tres, novamque, quae nunc editur, nostram, minoris momenti tres veniunt aliae:

a) 1ma Dionysii Halicarn. in epistola ad Ammaeum de Demosthene. Continet ea notationes aliquot Chronologicas.

b) Altera ex Hesychio Milesio agit de philosophia Aristotelis.

c) Tertia denique ex Suida brevis, nec fere quidquam, quod alicujus sit momenti, habet.

Restat ut tandem pauca dicam de certa quadam Nunnesii opinione, quae videri possit magis cum nostra hac vita inedita cohaerere. Refert eam Ad. Stahr tom. I. pag. 14 his verbis: "Der Spanier P. J. Nunnez, der sie (i. e. Arist. vitam *κατ' Ἀμμώνιον*) mit einem weitläufigen Commentare begleitet herausgab, meinte sie zuerst ans Licht gezogen zu haben. Jedoch war sie, wie Jonsius bemerkt, schon viel früher in der Ausgabe der Aristotelischen Werke, welche zu Venedig in den Jahren 1496—1498 erschien, bekannt gemacht worden; (de his vidimus supra, pergit autem sic:) wobei jedoch auch nicht zu übersehen ist, dass nach einer Behauptung des genannten Nunnesius zum Phrynichus (p. 311. ed. Lob.) Aldus die Griechische Lebensbeschreibung, welche er dem Commentare des Ammonius zu den Kategorien des Aristoteles vorsetzte, nur durch *eigne* Uebersetzung der alten handschriftlichen Lateinischen "Vita Aristotelis ex Vetere translatione„ gewonnen habe!„ Vides hanc fuisse Nunnesii mentem, ut putarit Aldum Vitam ex Veteri translatione vertisse Graece. Hoc si verum foret, Aldina ista Graeca consentirent cum translatione Vetere Latina, consentirent vero etiam cum Graecis, quae nunc edimus, utpote quae partem longe maximam congruunt cum translatione V. L.: imo nunc fortasse con-

jiciendum foret Aldum *non* vertisse, sed nostra habuisse Graeca, et edidisse, ex mente nempe Nunnesii: sed sive ab Aldo editam vitam annis 1496—1498, quae ibi dicitur *βίος Ἀριστ. κατὰ Φιλόπονον,* sive eam sine ullo auctoris nomine, quam Ammonii Commentariis in Categorias Aristotelis praemisit anno 1503, contuleris aut cum Vetere translatione Latina, aut cum Graeca nostra vita nova, idem obtinet discrimen, quod nunc est inter nostram et eam, quae vocatur *κατ' Ἀμμώνιον.* Scilicet translatio illa vetus partim quidem consentit cum Ammonio, sed multis locis ab eo est diversa, (ut nostra etiam Graeca) et continet multo plura et omnino nova, quae nunc primum in nostra inedita Graece leguntur et reperiuntur.

Caeterum de Aristotelis vita, Scriptis, et de ejus biographis conferatur Jacob. Brucker Instit. historiae Philos. Lipsiae 1790, J. Theophil. Buhle Biponti 1790 in praefat. editionis Aristot., H. Clintonis fasti Hellenici edit. C. G. Kruger Lipsiae 1830, et inprimis Ad. Stahr in libro, qui inscribitur Aristotelia, Halle 1830—1832: hic plerumque accurate et erudite totum hoc argumentum tractavit, omnia conquirens, quae huc pertinent ex testimoniis sparsis et in biographiis, et in auctoribus Graecis et Latinis: sed aliquando tamen turpiter (quod factum nollem) labitur Graeca explicans vel artem criticam attingens: v. c. T. II. p. 21 ubi citat Plutarchi haec verba (in vita Syllae c. 26), "*οἱ*

δὲ πρεσβύτεροι Περιπατητικοὶ φαίνονται μὲν καθ' ἑαυτοὺς χαρίεντες καὶ φιλολόγοι, τῶν δ' Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου γραμμάτων οὔτε πολλοῖς οὔτ' ἀκριβῶς ἐντετυχηκότες διά τε τὸ τὸν Νηλέως τοῦ Σκηψίου κλῆρον, ᾧ τὰ βιβλία κατέλιπε Θεόφραστος, εἰς ἀφιλοτίμους καὶ ἰδιώτας ἀνθρώπους παραγενέσθαι.„ Haec. Tom. II p. 22 ita Germanice vertuntur. "Die älteren Peripatetiker aber erscheinen zwar, an sich betrachtet, wissenschaftlich gebildet und gelehrt, doch ohne, weder ausgebreitete noch genaue, Kenntniss der Schriften des Aristoteles und Theophrastos etc. et pag. 27. doch von den Schriften des Aristoteles und Theophrastos sagt er, (Plutarchus) "haben sie weder viele noch (*diese*) genau studiert, wovon das Schiksal jener Schriften unter den Erben des Neleus die Schuld trägt.„ Ich brauche kaum auf die Verwirrung, ja auf die Absurdität, welche in diesen Worten enthalten ist, aufmerksam zu machen. Denn wenn dies Verfahren der Erben des Neleus auch von Plutarch als Ursache angesehen werden konnte, warum den älteren Peripatetikern überhaupt nur wenige Werke des Arist. und Theophr. zu Gebote gestanden hätten, so konnte doch darin durchaus kein Grund für das nicht sorgfältige Studieren der ihnen zugänglichen Schriften enthalten sein; gesetzt auch, ich wollte nicht erwähnen, dass, wie jetzt die Plutarchische Stelle lautet, das οὔτ' ἀκριβῶς nur sehr gezwungen auf die, jenen Peripate-

tikern bekannten, (*οὐ πολλοὶ*) wenigen Bücher des Aristot. und Theophr. bezogen werden kann.„ Tum in nota ad h. l. bonus noster Stahr addit.: "In der That weiss ich hier den Plutarch kaum anders zu vertheidigen und uns zu helfen, als dass ich die Worte von *διὰ τὸ τὸν Νηλέως* bis *παραγενέσθαι* für einen späteren Zusatz erkläre.„

Haec omnia levia sunt ac propemodum ridicula. Nam primo obtutu, si quis hoc aget, Plutarchi locum corruptum et mutilatum esse videbit. Quid exciderit, ipsa indicante loci sententia, non est admodum difficile reperire. Plutarchus in hunc fere modum scripsisse videtur: *τῶν δὲ Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου συγγραμμάτων* (non *γραμμάτων*) *οὔτε πολλοῖς οὔτ' ἀκριβῶς* (*γεγραμμένοις βιβλίοις*) *ἐντετυχηκότες διὰ τὸ τὸν Νηλέως τοῦ Σκηψίου κλῆρον* (non *κληρόνομον*), *ᾧ τὰ βιβλία κατέλιπε Θεόφραστος, εἰς ἀφιλοτίμους καὶ ἰδιώτας ἀνθρώπους περιγενέσθαι* (non *παραγενέσθαι*). Plutarchus narrat veteres Peripateticos librorum Aristotelis et Theophrasti *pauca* tantum exemplaria *neque ea diligenter descripta* nactos esse, idque factum esse incuria hominum indoctorum ad quos ea hereditas devenisset. Tabulae testamenti Theophrastei exstant apud Diogenem Laërtium V. 51: de libris suis quid statuerit legitur § 52: *τὸ δὲ χωρίον τὸ ἐν Σταγείροις ἡμῖν ὑπάρχον δίδωμι Καλλίνῳ, τὰ δὲ βιβλία πάντα Νηλεῖ.*

Hos igitur libros omnes Theophrasteos cum Aristotelicis Nelei heredes, homines omnis eruditionis expertes neque ***magno numero describendos*** curasse dicuntur neque ***ut emendate describerentur:*** itaque sic factum esse quod Plutarchus narraverat.

Sed hos et alios, qui in his operibus citantur, adeat, qui de his rebus certior fieri velit; nos adhibuimus quidem, sed describere noluimus, nec argumento fere exhausto novi quid afferre nobis licuit. Ubi tamen res postulabat, ex iis nonnulla, quae ad locum illustrandum necessario facerent, in notis historicis et Chronologicis subjecimus, quod ut aequi bonique nobis lector benevolus consulat, vix est quod postulare necesse sit.

Scripsi in Brabantiae Septentrionalis pago
qui dicitur Boxmeer
a. d. v. Idus Apriles
anni CIƆIƆCCCLXI.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΒΙΟΣ.

Ἀριστοτέλης ὁ φιλόσοφος τῆς μὲν ἦν Σταγείρων, τὰ δὲ Στάγειρα πόλις Θρᾴκης πλησίον Ὀλύνθου, καὶ Μεθώνης, υἱὸς δὲ Νικομάχου καὶ Φαιστίδος, ἀμφοῖν ἀπὸ Μαχάονος τοῦ Ἀσκληπιοῦ καταγομένων, ὡς δηλοῖ τὸ εἰς αὐτὸν ἐπίγραμμα·

"Φαιστίδος ἦν μητρὸς, καὶ Νικομάχου γενετῆρος,
Τῶν Ἀσκληπιαδῶν, δῖος Ἀριστοτέλης.,,

Γέγονε δὲ αὐτοῖς οὐ μόνον Ἀριστοτέλης, ἀλλὰ καὶ Ἀρίμνηστος καὶ Ἀριμνήστη· ὁ δέ γε Νικόμαχος ἰατρὸς ἦν Ἀμύντου, τοῦ Μακεδόνων βασιλέως, τοῦ Φιλίππου πατρὸς, καὶ κατὰ μνήμην τοῦ οἰκείου πατρὸς Ἀριστοτέλης τὸν ἑαυτοῦ παῖδα Νικόμαχον προσηγόρευσεν, ᾧ καὶ τὰ Νικομάχεια ἠθικὰ ἔγραψε. Πατρόθεν ἄρα τῷ Ἀριστοτέλει καὶ ἐκ τῆς ἀνέκαθεν γενεᾶς ἡ περὶ φυσιολογίαν καὶ ἰατρικὴν ἕξις. Ὀρφανὸς δὲ γενόμενος ἀνάγεται παρὰ Προξένῳ τῷ

Ἀταρνεῖ, οὗ τῆς φήμης μνημονεύων τὸν αὐτοῦ υἱὸν Νικάνορα ἔθρεψε καὶ ἐπαίδευσε, καὶ υἱὸν ἐποιήσατο, καὶ τελευτῶν ἐκέλευσεν ἐν διαθήκαις τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα Πυθαΐδα, γενομένην αὐτῷ ἀπὸ Πυθαΐδος, δοθῆναι αὐτῷ πρὸς γάμον. Ἕως μὲν οὖν ἔτι νέος ἦν, τὴν τῶν ἐλευθέρων ἐπαιδεύετο παιδείαν, ὡς δηλοῖ τὰ γεγραμμένα αὐτῷ Ὁμηρικὰ ζητήματα, καὶ ἡ τῆς Ἰλιάδος ἔκδοσις, ἣν δέδωκε τῷ Ἀλεξάνδρῳ, καὶ ὁ περὶ ποιητῶν διάλογος, καὶ τὸ τῆς ποιητικῆς σύγγραμμα, καὶ αἱ ῥητορικαὶ τέχναι, καὶ τὰ ἰατρικὰ προβλήματα, καὶ τὰ φυσικὰ προβλήματα ἐν ἑβδομήκοντα βιβλίοις ὄντα, καὶ τὰ ὀπτικὰ προβλήματα, καὶ τὰ μηχανικὰ προβλήματα, καὶ τὰ γεγραμμένα αὐτῷ δικαιώματα τῶν Ἑλληνίδων πόλεων, ἐξ ὧν Φίλιππος τὰς φιλονεικίας τῶν Ἑλλήνων διέλυσεν, ὡς μεγαλορρημον͵ε ῖ ν͵ ποτε καὶ εἰπεῖν· ,,ὥρισα τὴν Πέλοπος.,, Γέγραπται δὲ αὐτῷ καὶ ἡ τῶν πολιτειῶν ἱστορία ὕστερον. Ἐτῶν δὲ γενόμενος ͵ἑ π τ ὰ͵ καὶ δέκα, τοῦ Πυθοῖ θεοῦ χρήσαντος αὐτῷ φιλοσοφεῖν παρ᾽ Ἀθηναίοις, φοιτᾷ Σωκράτει, καὶ συνῆν ͵τ ὸ ν͵ μέχρι τελευτῆς αὐτοῦ χρόνον πλὴν ὀλίγον ὄντα· μετὰ δὲ τοῦτον φοιτᾷ Πλάτωνι, καὶ συνῆν τούτῳ τὸν μέχρι τελευτῆς αὐτοῦ χρόνον εἰκοσαετὴς τυγχάνων, ὡς αὐτὸς ἐπιστέλλων Φιλίππῳ λέγει, καὶ οὕτω φιλοπόνως συνῆν Πλάτωνι, ὡς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἀναγνώστου οἰκίαν προσαγορευθῆναι· θαμὰ γὰρ Πλάτων ἔλεγεν· ,,ἀπίωμεν εἰς τὴν τοῦ ἀναγνώ-

στου οἰκίαν,,, καὶ ἀπόντος τῆς ἀκροάσεως, ἀνεβόα·
"Ὁ νοῦς ἄπεστι, κωφὸν ἀκροατήριον.,,

Ἐπέζησε δὲ Πλάτωνι ἔτη εἴκοσι τρία, πῆ μὲν παιδεύων Φιλίππου παῖδα Ἀλέξανδρον, πῆ δὲ συμπεριϊὼν αὐτῷ θάλατταν πολλὴν καὶ γῆν, πῆ δὲ συγγράφων, πῆ δὲ διδασκαλείου προεστώς. Οὐκ ἄρα ἀντῳκοδόμησεν Ἀριστοτέλης σχολὴν ἔτι ζῶντος Πλάτωνος, τὸ Λύκειον, ὡς Ἀριστόξενος πρῶτος ἐσυκοφάντησε, καὶ Ἀριστείδης ὕστερον ἠκολούθησεν, ἀλλὰ μέχρι τελευτῆς συνῆν Πλάτωνι. Καὶ ὅτι Πλάτων μὲν ἐτέχθη ἐπὶ Διοτίμου ἄρχοντος Ἀθήνησι, καὶ βιοὺς ἔτη ὀγδοήκοντα δύο μετήλλαξε τὸν βίον ἐπὶ Θεοφίλου, Ἀριστοτέλης δὲ τεχθεὶς ἐπὶ Διοτρέφους, καὶ βιοὺς ἔτη ἑξήκοντα τρία, τελευτᾷ ἐπὶ Φιλοκλέους· φοιτᾷ δὲ Πλάτωνι Ἀριστοτέλης ἐπὶ Ναυσιγένους, καὶ ἀπὸ Θεοφίλου, ἐφ' οὗ τελευτᾷ Πλάτων, ἕως Φιλοκλέους, ἐφ' οὗ τελευτᾷ Ἀριστοτέλης, ἔτη εἴκοσι τρία ἐπέζησε Πλάτωνι· οὐκ ἄρα οὖν, ὡς οὗτοι συκοφαντοῦντες φασὶν, τεσσαρακοντούτης Ἀριστοτέλης φοιτᾷ Πλάτωνι ἐπ' Εὐδόξου, τοῦ γὰρ Ἀριστοτέλους ἑξήκοντα τρία ἔτη βιώσαντος, τρία ἔτη ἐστὶν ἀπὸ θανάτου Πλάτωνος, ἀφῃρημένων τῶν εἴκοσιν ἐτῶν ἃ ἐσχόλασε Πλάτωνι· ἐν δὲ τοῖς τρισὶν ἔτεσιν οὐ μόνον οὐκ ἦν τοσαῦτα ἐκθέσθαι, ἀλλ' οὐδὲ ῥᾴδιον ἀναγνῶναι· οὕτω Φιλόχορος ἱστορεῖ, καὶ ὅτι οὐδὲ εἰκὸς ἦν, Ἀριστοτέλη ξένον ὄντα τοῦτο δύνασθαι ποιεῖν κατὰ Πλάτωνος πολίτου τυγχάνον-

τος καὶ μέγα δυναμένου διὰ Χαβρίαν καὶ Τιμόθεον, τοὺς Ἀθήνησι στρατηγήσαντας καὶ κατὰ γένος αὐτῷ προσήκοντας. Μετὰ δὲ τὴν Πλάτωνος τελευτὴν, Σπεύσιππος μὲν ὁ Πλάτωνος ἀδελφιδοῦς, (ἐτύγχανε γὰρ υἱὸς ὢν Ποτώνης, τῆς ἀδελφῆς Πλάτωνος), διαδέχεται τὴν σχολὴν, Ἀριστοτέλης δὲ στέλλεται εἰς Μακεδονίαν, μεταπεμφθεὶς ὑπὸ Φιλίππου, ἐφ' ᾧ τὸν υἱὸν αὐτοῦ παιδεῦσαι· καὶ οὕτως ἦν τίμιος Φιλίππῳ καὶ Ὀλυμπιάδι, ὡς ἀναθεῖναι αὐτῷ μεθ' ἑαυτῶν ἀνδριάντα. Ὁ δὲ φιλόσοφος, μέγα μέρος ὢν τῆς „βασιλείας, ὀργάνῳ τῇ δυνάμει πρὸς εὐποιίαν ἐχρήσατο, ἕνα τε ἕκαστον εὐεργετῶν καὶ πόλεις ὅλας, καὶ πάντας ἅμα. Ὅσα μὲν γὰρ ἕκαστον εὐηργέτησεν, αἱ γεγραμμέναι αὐτῷ πρὸς τοὺς βασιλέας περί τινων ἐπιστολαὶ δηλοῦσιν, ὅσα δὲ πόλεις ὅλας, τὰ Στάγειρα δηλοῖ, καὶ Ἐρεσὸς, ἡ Θεοφράστου καὶ Φανίου τῶν αὐτοῦ μαθητῶν πατρίς· τήν τε γὰρ ἑαυτοῦ πατρίδα Στάγειρα κατασκαφεῖσαν ὑπὸ Φιλίππου πείθει τὸν Ἀλέξανδρον δεύτερον κτίζειν, καὶ χώραν ἑτέραν αὐτῇ προσδιδόναι, ἀνθ' ὧν οἱ Σταγειρῖται μῆνα προσηγόρευσαν Ἀριστοτέλειον, καὶ ἑορτὴν ἦγον Ἀριστοτέλεια, καὶ ἐν Χαλκίδι τελευτήσαντος μετεπέμψαντο τὸ σῶμα, καὶ βωμὸν ἐπέστησαν τῷ τάφῳ, καὶ Ἀριστοτέλειον τὸν τόπον ἐκάλεσαν, καὶ ἐκεῖ τὴν βουλὴν ἤθροιζον, καὶ Ἐρεσὸν μέλλουσαν ὑπὸ Φιλίππου πολιορκηθῆναι ἔπεισεν ἀφεθῆναι. Πολλὰ δὲ καὶ Ἀθηναίους εὐηργέτησεν ἐν τοῖς πρὸς Φί-

λιππον γράμμασιν, ὡς Ἀθηναίους ἐν τῇ ἀκροπόλει ἀνδριάντα αὐτῷ ἀναθεῖναι. Ἵνα δὲ καὶ πάντας ἀνθρώπους εὐεργετήσῃ, γράφει τῷ Ἀλεξάνδρῳ βιβλίον περὶ βασιλείας, διδάσκων ὅπως βασιλευτέον, ὅπερ οὕτως ἔδρασεν εἰς τὴν Ἀλεξάνδρου ψυχήν, ὡς λέγειν, ὅτε μὴ ὠφέλησέ τινα· "σήμερον οὐκ ἐβασίλευσα, οὐδένα γὰρ εὖ ἐποίησα·„ ὅπερ ἴσον ἐστὶ τῷ ἐπιχωρίως λεγομένῳ ἐπὶ τῶν ἐπ' ὀλίγον ἀρρωστούντων, τοῦτ' ἔστιν ἐφήμερον νόσον, "παρὰ μίαν·„ διὰ ⌜γὰρ⌝ τὸ μὴ ποιῆσαι τὴν ἡμέραν ἐκείνην τὰς ὑγιαινόντων εὐεργεσίας. Ἀκμάσαντι δὲ Ἀλεξάνδρῳ καὶ ἐπιστρατεύσαντι κατὰ Περσῶν συνεξῆλθεν, οὐδὲ τότε ˻τοῦ˼ φιλοσοφεῖν ἀποσχόμενος· τὴν γὰρ ἱστορίαν τῶν πολιτειῶν τότε συνέλεξε, καὶ μέλλοντι συμβάλλειν τῷ Περσικῷ πολέμῳ ἔφη τὰ αἴσια γενέσθαι· ὁ δὲ μὴ πεισθεὶς συνέβαλε, καὶ ἐτελεύτησεν. Καὶ οὐχ ἧττον δὲ τῶν φθασάντων βασιλέων, Ἀμύντου, Φιλίππου, Ὀλυμπιάδος, Ἀλεξάνδρου, Ἀντίπατρος ὁ διαδεξάμενος τὴν Ἀλεξάνδρου βασιλείαν, διὰ τιμῆς εἶχε τὸν Ἀριστοτέλην. Τοῦ δὲ Σπευσίππου τελευτήσαντος, οἱ ἀπὸ τῆς σχολῆς μεταπέμπονται τὸν Ἀριστοτέλην, καὶ διαδέχονται αὐτὴν αὐτός τε καὶ Ξενοκράτης σωφρονέστατα· καὶ Ἀριστοτέλης μὲν ἐν Λυκείῳ, Ξενοκράτης δὲ ἐν Ἀκαδημείᾳ, ἔνθα καὶ Πλάτων ἐπαίδευεν. Οὐ γὰρ ὡς Ἀριστόξενος ὕστερον, Πλάτωνος ζῶντος καὶ ἐν Ἀκαδημείᾳ παιδεύοντος, ἀντῳκοδόμησεν ὁ Ἀριστοτέλης τὸ Λύκειον. Εἴπερ

γάρ τις ἄλλος, φαίνεται ὁ Ἀριστοτέλης καταπεπληγμένος Πλάτωνα, ἐπιγράφει γάρ εἰς αὐτόν·

"Βωμόν Ἀριστοτέλης ἱδρύσατο τόνδε Πλάτωνι.„

καὶ ἀλλαχοῦ περὶ αὐτοῦ φησίν·

"Ἀνδρός, ὃν οὐδ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις.„

Καὶ φαίνεται ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς θαυμάζων Πλάτωνα, καὶ συνιστάς τοῖς βασιλεῦσι τοὺς Πλάτωνι κατὰ γένος κοινωνοῦντας. Εἰ δὲ καὶ ἔν τισιν ἀντιλέγει Πλάτωνι, πλατωνίζειν αὐτὸν φήσομεν. Πλάτων γάρ ἐστιν ὁ λέγων "Σωκράτους μὲν ὀλίγον φροντίζειν, τῆς δὲ ἀληθείας πολύ.„ Καί, "ἔγωγε οὐδενὶ ἄλλῳ πρόθυμός εἰμι πείθεσθαι, ἢ τῷ λόγῳ, ὃς ἄν μοι λογιζομένῳ βέλτιστος καταφαίνηται.„ Καί, "εἰ μὴ σὺ σαυτοῦ λέγοντος ἀκούσεις, ἄλλου λέγοντος μὴ πιστεύσῃς.„ Ἴσως δὲ οὐδὲ πρὸς τὰ δοκοῦντα Πλάτωνι μάχεται, ἀλλὰ πρὸς τοὺς κακῶς αὐτὰ ὑπολαβόντας, ὡς καί, "τὸ κινητὸν τοῦ οὐρανοῦ,„ ἐν τῇ περὶ οὐρανοῦ· τινὲς γάρ κατὰ χρόνον αὐτὸ ἤκουσαν, καὶ οὐ κατ' αἰτίαν εἶναι· καὶ τὰς ἰδέας ἐν τοῖς μετὰ τὰ φυσικά· τινὲς γάρ ἔξω τοῦ νοῦ αὐτὰς ὑπέθεντο, καὶ ἄλλοι ἴδια αἰσθητὰ ὑπέλαβον αὐτὰς οἷον ἄνθρωπον ἀθάνατον καὶ ἵππον· ὅτι γάρ οὐ βούλεται αὐτὰς παντάπασι μὴ εἶναι, δηλοῖ ἐν τοῖς ἠθικοῖς λέγων· "διττὴν εἶναι τὴν τάξιν, τὴν μὲν ἐν τῷ στρατηγῷ, τὴν δὲ ἐν τῷ στρα-

τοπέδῳ, καὶ αἰτίαν εἶναι ταύτης ἐκείνην·„ καὶ ἐν τῇ περὶ ψυχῆς· "τὸν κατ' ἐνέργειαν νοῦν εἶναι τὰ πράγματα·„ καθόλου γὰρ ὁ Ἀριστοτέλης τὸ ἦθος μέτριος γέγονεν, εἰ ἐν μὲν ταῖς κατηγορίαις φησί· "μὴ δεῖν προχείρως ἀποφαίνεσθαι, ἀλλὰ πολλάκις ἐπεσκεμμένον, καὶ μὴν οὐδὲ διαπορεῖν μόνον ἄχρηστον εἶναι·„ καὶ ἐν τοῖς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ· "δεῖ μεμνῆσθαι ἄνθρωπον ὄντα οὐ μόνον εὐδαίμονα ἀλλὰ καὶ ⌜τὸν⌝ ἀποδεικνύντα·„ καὶ ἐν τοῖς ἠθικοῖς Νικομαχείοις· "φίλος μὲν ὁ ἀνήρ, φίλη δὲ ἡ ἀλήθεια· ἀμφοῖν δὲ φίλοιν ὄντοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν·„ καὶ ἐν τοῖς μετεώροις· "ὧν τὰ μὲν ἀποροῦμεν, τῶν δὲ ἐφαπτόμεθά τινα τρόπον·„ καὶ ἐν τοῖς αὐτοῖς· "οὐχ ἅπαξ, οὐδὲ δίς, ἀλλ' ἀπειράκις τὰς αὐτὰς γίνεσθαι τοῖς ἀνθρώποις δόξας·„ ἵνα μὴ μέγα φρονῶμεν ἐφ' οἷς εὑρίσκειν δοκοῦμεν. Καὶ τοιοῦτος μὲν κατὰ τὸν βίον γέγονεν ὁ φιλόσοφος. Προσέθηκε δὲ τῇ φιλοσοφίᾳ πλείω ὧν παρ' αὐτῆς ἀνελέξατο· τῇ μὲν ἠθικῇ, τὸ τὴν εὐδαιμονίαν μήτε ἐν τοῖς ἐκτὸς ἀποτίθεσθαι, ὡς ὁ πολὺς ὄχλος, μήτε ἐν τῇ ψυχῇ μόνον, ὡς ὁ Πλάτων, ἀλλ' ἔχειν μὲν τὸ κῦρος ἐν ψυχῇ, ῥυπαίνεσθαι δὲ καὶ θλίβεσθαι μόνον αὐτὴν ὑπὸ τῶν ἐκτὸς μὴ εὖ ἐχόντων, οἰκείως ταῖς λέξεσι χρησάμενος, καὶ γὰρ τὰ ῥυπούμενα ἔνδον αὐτὸ τὸ κάλλος ἔχει, κρύπτεται δὲ κατὰ μόνην τὴν ἐπιφάνειαν, καὶ τὰ τριβόμενα, τὸ αὐτὸ μέγεθος ἔχοντα κατ' ἀλήθειαν,

ἐλάττω φαίνεται μόνον. Τῇ δὲ φυσιολογίᾳ προσέθηκε τὴν πέμπτην οὐσίαν, καὶ τὸ κατ' εἰσδοχὴν ὁρᾶν· τῇ δὲ μαθηματικῇ, τὸ ὀξύγωνον εἶναι τὸν κῶνον τῶν ὄψεων διὰ τὸ ἐπιπλέον προϊέναι τὴν ὄψιν οὗ ὁρᾷ μεγέθους, καὶ κατὰ τοῦτο γὰρ οὐδὲν τῶν ὁρωμένων ὅλον ἅμα ὁρᾶται· καὶ ταύτῃ μείζονα γενέσθαι τὸν ἄξονα τῆς ἐκ τούτου τῆς βάσεως, καὶ ὀξύγωνον τὸν κῶνον ἀποτελεῖσθαι. Τῇ δὲ θεολογίᾳ, τὸ μὴ τὰ πάντα ἐγκόσμια εἶναι, ὡς τὸ εἰκὸς, ἀλλ' εἶναί τι καὶ ὑπερκόσμιον· ἐν γὰρ τῷ πέμπτῳ τῆς φυσιολογικῆς, τὸ πρῶτον μηδὲ κατὰ συμβεβηκός φησι κινεῖσθαι, τοῦ ἐγκοσμίου διὰ τὸ ᾧ συντέτακται, κατὰ συμβεβηκὸς κινουμένου· καὶ ἐν τῷ ὀγδόῳ τῆς φυσικῆς, τὸ πρώτως κινοῦν ἀκίνητον εἶναι βούλεται. Αὐτοῦ δὲ εὕρεμα καὶ ἡ λογικὴ τὰς συλλογιστικὰς μεθόδους ἀπὸ τῶν πραγμάτων ⸌διακρίν⸍αντος. Ἐπαναστάντων δὲ αὐτῷ τῶν Ἀθηναίων, ὑπεχώρησεν εἰς Χαλκίδα, τοσοῦτον ὑπειπὼν, ὡς οὐ συγχωρήσω Ἀθηναίοις δὶς ἁμαρτεῖν εἰς φιλοσοφίαν. Ἐπεὶ δὲ τὰ αὐτὰ καθήκοντα ⸌οὐκ⸍ ἦν πολίτῃ καὶ ξένῳ περὶ τὴν τῶν Ἀθηναίων πόλιν, ἐπιστέλλων Ἀντιπάτρῳ γράφει τὸ Ἀθήνησι διατρίβειν ἐργῶδες,

Ὄγχνη γὰρ ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

τὴν διαδοχὴν τῶν συκοφαντούντων αἰνιττόμενος. Καὶ τελευτᾷ ἐκεῖ ⸢σε⸣ διαθήκην ἔγγραφον καταλιπὼν, ἣ φέρεται παρά τε Ἀνδρονίκῳ καὶ Πτολεμαίῳ μετὰ

τὸν πίνακα τῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων, ἐπὶ παισὶ μὲν Νικομάχῳ καὶ Πυθαΐδι, γνησίοις δὲ μαθηταῖς Θεοφράστῳ, Φανίᾳ, Εὐδήμῳ, Κλυτῷ, Ἀριστοξένῳ, Δικαιάρχῳ, συντάγμασι δὲ χιλίοις τὸν ἀριθμόν, πολλὰ μὲν δυνάμενος παρὰ τοῖς κατ' αὐτὸν βασιλεῦσι, Φιλίππῳ, Ὀλυμπιάδι, Ἀλεξάνδρῳ, Ἀντιπάτρῳ, τῇ δὲ δυνάμει ὀργάνῳ φιλοσοφίας χρησάμενος. Ἴδιον δὲ τῆς Ἀριστοτέλους φιλοσοφίας τὸ μὴ ἀφίστασθαι τῶν ἐναργῶν· μετὰ γὰρ τὰς ἀποδείξεις καὶ τοὺς πολλοὺς μαρτύρεται· καὶ ἐν τῷ περὶ οὐρανοῦ τοὺς πλανῆτας ἀνωμάλως κινεῖσθαι λέγει, διὰ τὴν ἐνάργειαν . . . . . τῶν ἀνελιττουσῶν, τὴν ὁμαλὴν κίνησιν σωζουσῶν· καὶ ἐν ταῖς κατηγορίαις καταπλήττεται τὰς ἀτόμους οὐσίας, καὶ προτίθησι τῶν καθόλου διὰ μόνην τὴν ἐνάργειαν· καὶ γὰρ ὅτι τὰ καθόλου οὐκ ἔστι, καὶ ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς φησί· "τὸ δὲ ζῷον τὸ καθόλου ἤτοι οὐδέν ἐστιν ἢ ὕστερον·„ ἀσαφὲς γὰρ τὸ ἐν τοῖς πολλοῖς καθόλου, διὸ καὶ καταναγκάζει πάντας ἐκ τῆς ἐναργείας.

VETUS LATINA VERSIO.

Aristoteles philosophus de gente quidem fuit Macedo, patria vero Stagirita. Stagira autem civitas est Thraciae, vicina Olyntho et Methonae. Filius autem fuit Nicomachi et Phaestidis, ambobus a Machaone Asclepiade descendentibus. Sic designat Epigramma, quod fuit in ipsum, sic dicens:

"Phaestide fuit matre et Nicomacho genitore
Qui descenderunt ab Aesculapio, insignis Aristoteles.„

Genitus autem est eis non solum Aristoteles, sed Arimnestus et Arimneste. Nicomachus autem medicus fuit Amyntae, regis Macedonum, patris Philippi, et ad memoriam proprii patris Aristoteles suum filium Nicomachum appellavit: cui et Nicomachia Ethica scripsit. Itaque habitus fuit quidem ejus circa philosophiam et medicinam a patre et propria prima generatione. Post mortem Nicomachi et Phaestidis parentum, ducitur ad quendam Proxenum Atarnensem: cujus etiam educa-

tionis recordatus Aristoteles non solum ejus filium Nicanorem educavit, et omni doctrina erudivit, verum etiam eum sibi filium adoptavit, et moriens in suo testamento jussit suam filiam nomine Pythiada, genitam a Pythiade, tradi illi Nicanori in uxorem. Aristoteles autem juvenis adhuc exsistens doctrinam eloquentiae docebatur, ut declarant Homerica commenta scripta ab eo, et Iliadis dictamen, quod dedit Alexandro, et dialogus de poëtis, et tractatus de poëtica, et rhetorica. Factus autem XVII annorum, et Pythia praecipiente ipsum philosophari, mittitur Athenas: ubi adhaesit Socrati, et moratus est cum eo tribus annis usque ad finem vitae ipsius. Mortuo autem Socrate, Platonem adit, cum eoque annos viginti versatus est, sicut ipse declarat mittens Philippo; et tantam adeptus est dilectionem Platonis et diligentiam circa studium philosophiae, ut Plato domum Aristotelis domum lectoris vocaret, et saepe dicebat: eamus ad domum lectoris; et ipso absente a lectione, clamabat; intellectus abest, surdum est auditorium.

Vixit autem post mortem Platonis annis XXIII, partim quidem docens Alexandrum filium Philippi, partim autem peragrans cum ipso multam terram, partim autem componens libros, partim munere doctoris eminens. Non enim verum, quod aedificavit Aristoteles Lyceum contra Platonem vivum exsistentem, sicut Aristoxenus accusavit, et Aristocles postea. Adhaesit autem

Platoni usque ad finem suum. Plato autem natus fuit Diotimo dominante Atheniensibus, et vivens annis LXXXI finivit vitam suam sub Theophilo. Aristoteles autem natus sub Diotrephe et vivens annis LXIII moritur in tempore Philoclis. Adhaesit autem Aristoteles Platoni tempore Nausigenis: et fuerunt a Theophilo, sub quo moritur Plato, usque ad Philoclem anni XXIII, quibus Aristoteles supervixit Platoni.

Non igitur sic quidem mentiuntur, quod XL annis immoratus est Aristoteles sub Platone tempore Eudoxi? Aristotele enim vivente LXIII annis, tres anni tantum restarent a morte Platonis, ablatis XVII annis, quibus studuit in trivio, tribus, quibus studuit cum Socrate, et ablatis XL, quibus studuit cum Platone (ut ipsi ajunt), in tribus annis non solum non fuit possibile tanta componere, sed etiam nec facile legendo transcurrere, sicut Philochorus historizavit: et etiam non fuit conveniens, Aristotele extraneo exsistente, posse facere contra Platonem, qui erat civis et valde potens propter Chabriam et Timotheum, principantes Atheniensibus, et genere sibi cognatos. Post mortem autem Platonis Speusippus recepit scholas Platonis. Fuerat enim hic filius Potones, sororis Platonis. Aristoteles autem nutritus est in Macedonia, ubi docet Alexandrum filium Philippi, (et in tantum fuit honoratus a Philippo et Olympiade matre Alexandri, quod illi construxerunt vel constituerunt cum suis statuam)

et in magna parte fuit concors regni ipsius, et multum laboravit pro rege; et cum esset magna pars potentiae ad benefaciendum, potentia opportune usus est, bene faciens et singulis proprie, et omnibus communiter. Et quod multis proprie benefecerit, declarant missae ab eo epistolae de quibusdam ad regem. Quod autem et communiter benefecit multis, et demonstrat illud, quod scilicet civitatem suam Stagiram dirutam prius a Philippo, induxit Alexandrum regem iterum reaedificare, et regionem aliam ipsi tradi. Propter quod et Stagiritani festivitatem celebrabant Aristotelis, Aristoteliam ipsam vocantes, et mensem, in quo festivitas celebratur, Stagiritem nominabant, et etiam Eressum urbem Theophrasti et Phaniae suorum discipulorum, debentem destrui, liberavit destructione. Stagiritani autem duxerunt corpus Aristotelis mortui in Chalcide in Stagiram, et altare construxerunt in monumento, locum illum Aristoteleum appellantes, et illuc ad concilium congregabantur. In multis autem et Atheniensibus benefecit, ut declarant tractatus, qui sunt ad Philippum. Itaque Athenienses in acropoli statuam illi construxerunt. Ut autem et omnibus hominibus universaliter benefaceret, scripsit Alexandro librum unum de regno, docens ipsum qualiter oporteat regnare, et in tantum movit animam Alexandri ad faciendum, quod dicebat: quod non benefeci aliquibus hodie, non regnavi. Quod aequale, aegrotans modice morbo ephemero, illa die opera-

tiones sanorum non facit. Juvene autem exsistente Alexandro et militante contra Persas, eundo cum eo, nec tunc abstinuit philosophari. Tunc enim composuit historiam ducentarum et quinquaginta politiarum, et associavit ipsum usque ad Persas, et bello facto rediit ad suam patriam [et ultro anticipatur]. Suscipiens autem Alexander regnum, in honore habuit Aristotelem, in quantum Alexander vixit. Speusippo autem, nepote Platonis, mortuo, suos discipulos suscipiunt Xenocrates et Aristoteles sapientissimi. Et Aristoteles quidem legebat in Lyceo, Xenocrates in Academia, ubi et Plato studebat. Non enim sicut Aristoxenus et Aristocles posterius dicunt, Platone vivente et in Academia docente, Aristoteles contra aedificavit Lyceum: et hoc tentant quidem dicere propter id, quod in pluribus contradicit Platoni: ad quos dicendum, quod non simpliciter contradicit Platoni, sed non intelligentibus ea, quae sunt Platonis cogitata. Si autem contradicit Platoni, non est inconveniens. Et in his enim ea, quae sunt Platonis, cogitat. — Platonis enim est sermo, quod magis oportet de veritate curare, quam de aliquo alio; et alibi dicit: amicus quidem Socrates, sed magis amica veritas; et in alio loco: de Socrate parum est curandum, de veritate vero multum. Hoc igitur et Aristoteles fecit, etsi non destruxit dicta Platonis; quamvis in his consona ipsi fecit, nolens despicere veritatem. Habuit autem multam dilectionem erga Platonem Ari-

stoteles, et quod sit verum, patet ex eo, quod aram consecravit ei, in qua scripsit ita:

Aram Aristoteles fundavit hanc Platonis
Viri, quem non est conveniens malis laudare.

Forte autem non ad ea, quae videntur, oppugnavit Platonem, sed ad eos, qui ipsa male intelligunt. Sicut et genitum esse coelum, in libro qui est de coelo. Quidam enim secundum tempus ipsum intellexerunt, sed non secundum causam esse. Ideas etiam in Metaphysica. Quidam enim extra intellectum ipsas posuerunt, et alii propria sensibilia arbitrati sunt ipsas, ut hominem immortalem et equum. Quod enim non vult ipsas omnino non esse, demonstrat in Metaphysicis dicens: duplicem esse ordinem, hunc quidem in duce esse exercitus, hunc autem in exercitu, et alterum esse causam alterius. Et in libro de anima: intellectum qui est secundum animam esse res. Multum namque Aristoteles moderatus fuit moribus: unde in praedicamentis ait, non oportet promte definire, sed quidem multoties considerare, et dubitare de singulis non esse inutile; et in iis quae de Bono: oportet reminisci hominem exsistentem non solum bene fortunatum sed demonstrantem. Et in Ethicis Nicomachiis: amicus quidem vir, amica autem veritas. Ambobus vero entibus amicis, sanctum est praehonorare veritatem. Et in Meteöris: horum quidem quaedam dubitamus, quaedam attingimus se-

cundum aliquem modum; et in eisdem, non semel nec bis, sed infinite easdem opiniones fieri hominibus; quod non multum sapientia superbiamus in quibus invenire videamur. Et talis quidem secundum vitam fuit philosophus. Addidit autem philosophiae plura, quae ipse invenit. Ethicae quidem addidit, felicitatem nec in bonis exterioribus constare, sicut Polyaenus dicit, nec in anima solum, sicut Plato dicebat, sed habere quidem formam in anima, coinquinari autem et constrictari solum ipsam ab exterioribus non bene se habentibus, proprie dictionibus utens. Etenim quae coinquinantur interius ipsam pulchritudinem habent: occultantur autem secundum solam superficiem, et constricta eandem magnitudinem habent secundum veritatem. Philosophiae autem addidit quinctam essentiam. Mathematicae vero hexagonium esse conum visivum, propter id, quod in plus incedit visus, cujus inspicit magnitudinem, et secundum hoc, nihil eorum, quae videntur, simul totum videtur, et sic majorem fieri axem base, quae est ex hoc, et hexagonum conum perficere. Theologiae vero quamvis nihil addidit, tamen de ea nihil diminute determinavit. Non enim solum mundana vidit, sicut quidam putant, sed et ea, quae sunt supra mundum, sicut declarat in octavo de physico auditu, dicens: quod prima causa nec per se mobilis, nec secundum accidens; ex hoc demonstrans, quod divinum nec corpus est, neque passibile. Composuit

autem et medicinalia problemata, et physica problemata in LXX libris existentia, et aspectiva problemata, et Mechanica, et scriptas ab eo Justificationes Graecarum civitatum, cum quibus lites Graecorum determinabat. Scripta autem est ab eo posterius historia politiarum. In philosophia vero transcendit humanam mensuram, nihil diminute de ea tractans, sed et multa ei adjiciens ex sua solertia totam direxit philosophiam. Logicae enim apponit, distinguens regulas a rebus, et faciens demonstrativam methodum. Antiqui enim demonstrare quidem sciebant, idem patientes scindere corium non potentibus, calceis autem uti potentibus. Insurgentibus autem ipsi Atheniensibus, ivit Chalcidem, hoc dicens: non concedam Atheniensibus bis peccare in philosophiam: et mittens Antipatro scribit, Athenis commorari periculosum; et dixit illud Homericum:

"Pyrus autem supra pyrum senescit, ficus autem supra ficum.„

successionem accusatorum aenigmatice loquens. Vixit autem Aristoteles annos LXIII, etenim XVII annos habens adhaesit Socrati, et cum eo stetit tribus annis. Adhaesit autem Platoni XX annis: post mortem autem Platonis vixit annis XXIII: totum utique tempus vitae suae numeratum fuerunt anni LXIII. Et mortuus est in Chalcide, demittens testamentum scriptum, quod fer-

tur ab Andronico et Ptolemaeo cum voluminibus suorum tractatuum. Dimisit autem filium Nicomachum et filiam Pythiada, proprios autem discipulos Theophrastum, Phaniam, [Plama], Eudemum, Clitum, Aristoxenum, Dicaearchum; tractatus autem numero mille. Multa autem potuit cum regibus, qui fuerunt tempore suo, Philippo, Olympiade, Alexandro, et Antipatro. Plurimum autem usus est organo philosophiae. Proprium autem fuit philosophiae Aristotelis, non discedere ab evidentia. Composuit autem Aristoteles librum de Oratione. Unde Simplicius: Quod enim intelligat et super intellectum, et super substantiam Aristoteles, manifestum est apud finem libri de Oratione plane dicens: quod Deus aut intellectus est, aut aliquid ultra intellectum.

NOTAE.



Pag. 1, Lin. 1. *τῆς μὲν ἦν.* Exciderunt quaedam, quod saepius apud nostrum accidit, ut infra videbimus: v. c. hoc loco *τῷ μὲν γένει ἦν Μακεδὼν,* vel *Θρᾲξ, πατρίδος δὲ Σταγείρων.* Cfr. Vita Pseudo-Ammonii et Versio Vetus Latina. Possis etiam multo leniore medicina locum in integrum sic restituere, ut revocatis e fuga quatuor litterulis scribas: *(πολί)της μὲν ἦν Σταγείρων — υἱὸς δὲ Νικομάχου.* Sic enim optime scripturae, qualis e codice prodiit, ratio constat.

Ibid. Lin. 2. *Στάγειρα πόλις Θρᾴκης,* nempe ante Thraciae, post Philippum Macedoniae. Cfr. A. Stahr in libro c. T. I. pag. 28.

Ibid. Lin. 3. *Φαιστίδος.* MS. habet *Θεστίας* hic et in epigrammate, quod sequitur. Correxi *Φαιστίδος* ex Vers. V. L. et vita Arist. Ps.-Amm.

Ibid. Lin. 7. *'Ασκληπιαδῶν*. Tzetzes in Chil. X. 727 et XII. 638 Aristotelem ideo Asclepiadem dictum esse putat, quod medicinam, quam pater et avus professi essent, ipse quoque profiteretur. Cfr. J. Th. Buhle l. c. Tom. I. pag. 83. Nicomachus secundum Suidam sex libros scripsit *'Ιατρικῶν*, unum *Φυσικῶν*. Phaestis Chalcide erat oriunda: Chalcidenses enim coloniam Stagiram deduxerant. (Vid. Dionys. Halicarn. in vita Aristotelis.) In testamento Aristotelis apud Diogenem Laërtium haec leguntur: "*Καὶ τὴν (εἰκόνα) τῆς μητρὸς τῆς ἡμετέρας τῇ Δημητρὶ* (ut recte Casaubonus emendavit,) *ἀναθεῖναι εἰς Νεμέαν*.„ Phaestidis imago a Protogene erat picta, cujus meminit Plinius H. N. XXXV. 20. Tradunt nonnulli Aristotelem Athenas profectum pharmacopolam fuisse, et artem medicam exercuisse. Cfr. J. Th. Buhle, Tom. I. pag. 85. Sed hanc narrationem ex impuro fonte fluxisse bene ostendit A. Stahr in l. c. T. I. pag. 39. Plutarchus in vita Alexandri refert Alexandrum M. a magistro Aristotele artis medicae studio fuisse imbutum. Scripsit sane philosophus libros quosdam, qui ad hanc artem pertinent.

Ibid. Lin. 9. *'Αρίμνηστος καὶ Ἀριμνήστη*. Hinc vides quomodo illa explicanda sint in vita Anonymi et apud Suidam *καὶ ἀδελφοὺς μὲν ἔσχεν 'Αρίμνηστον καὶ 'Αριμνήστην*. Sc. fuit haec soror, nec alter fuit frater *'Αριμνήστης*.

Ibid. Lin. 10. *Ἀμύντου*. Amyntas II regnum Macedoniae adeptus est Eubulide archonte 394 a. C. Vidrr. Clintonis Fasti Hellenici pag. 240 et 102; regnavit per 24 annos, mortuus est Dyscineto archonte 370 a. C.

Ibid. Lin. 16. *Προξένῳ τῷ Ἀταρνεῖ*. Vide testamentum Aristotelis apud Diogenem Laërtium (Edid. H. G. Hubnerus Lipsiensis a. 1828) Vol. I. p. 320, ubi haec Graece leguntur: "Quumque puella fuerit matura viro (Pythias) in matrimonium dari Nicanori.„ Illa: *ἀνάγεται παρὰ Προξένῳ τῷ Ἀταρνεῖ* apud Pseudo-Ammonium ita leguntur: *ἀνάγεται παρά τινι Προξένῳ Ἀταρνεῖ*, et varie explicantur. Nonnulli Aristotelem profectum esse Atarneam (quae Mysiae est urbs, vide Cellarium T. II. p. 40) perhibent ad Proxenum: A. Stahr l. c. T. I. p. 35 ipsum Proxenum Stagiris habitasse censet, imprimis quod ejus filius Nicanor vocatur Stagirita a Sexto Empirico adv. Mathem. c. 12. Sed pro *ἀνάγεται* exspectaverim *τρέφεται*, nec tamen certi quid in re incerta definire ausim.

Pag. 2. Lin. 1. *οὗ τῆς φήμης μνημονεύων*. Versio V. L. *cujus etiam educationis recordatus*. In vita Arist. Pseud.-Amm. *οὗ καὶ τῆς τροφῆς διαμεμνημένος*. Negligens librarius apud nostrum scripsisse videtur *φήμης* pro *τροφῆς*.

Ibid. Lin. 4. *Πυθαΐδα* et sequitur *Πυθαΐδος*. Versio V. L. *Pythiada genitam a Pythiade:* Sic et alii et Sextus Empiricus adv. Mathem. I. 258. *Πυθιάδα* videtur praeferendum. Cfr. Menag. ad Diog. Laërt. T. II. p. 191.

Ibid. Lin. 8. *ἡ τῆς Ἰλιάδος ἔκδοσις*. Est illa Homeri editio, quae vulgo *ἐκ νάρθηκος* dicitur, quam Alexander pretiosae cistulae inclusam, semper secum ferebat.

Ibid. Lin. 8. *ἣν δέδωκε.* malim *ἔδωκε.*

Ibid. Lin. 11. *Καὶ τὰ ἰατρικὰ προβλήματα. . . . .*
. . . . Γέγραπται ὕστερον. In Vers. V. L. non hoc loco, sed infra haec eadem, paucis exceptis, leguntur. "*Composuit autem et medicinalia problemata* etc. *Scripta autem est ab eo posterius historia politiarum.*„ Sed ista auctor versionis alieno posuit loco; quid enim ibi significat *posterius?* tum contextus perspicue docet talia ibi olim non scripta fuisse. In vita Arist. Pseud.-Amm. *ὁ μὲν οὖν Ἀριστοτέλης ἔτι νέος ὢν τὴν τῶν ἐλευθέρων παιδείαν ἐπαιδεύετο, ὡς δηλοῖ τὰ γεγραμμένα αὐτῷ περὶ ποιητικῆς καὶ περὶ ποιητῶν, ἔτι μέντοι τὰ Ὁμήρου προβλήματα καὶ αἱ ῥητορικαὶ τέχναι.* Noster multa scripta addidit varii generis, ut scilicet ostenderet Aristotelem *τὴν τῶν ἐλευθέρων παιδείαν πεπαιδεῦσθαι* id est didi-

cisse poësin, rhetoricam, physicam, etc. Sed male significat Aristotelem haec omnia adolescentem scripsisse: hoc enim illum voluisse patet ex istis, *γέγραπται δὲ αὐτῷ καὶ ἡ τῶν πολιτειῶν ἱστορία ὕ σ τ ε ρ ο ν*, quae verba non habet Pseudo-Ammonius; hic ita intelligi debet: "Aristoteles adolescens egregia educatione usus est, et omnes artes eruditus quae ingenuum liberalem decent; quod patet vel ex iis, quae (postea) de his ipsis artibus scripsit.„ Recte enim J. Th. Buhle l. c. T. I. p. 84. "Quaestionum Homericarum, librorum de re poëtica et de poëtis etc. vel fragmenta virum subactae jam eruditionis et maturioris aetatis produnt.„

Ibid. Lin. 14. *καὶ τὰ γεγραμμένα αὐτῷ δικαιώματα τῶν Ἑλληνίδων πόλεων.* Omnino cum hoc loco comparandum est fragmentum, quod nobis (sed corrupte) servavit Ammonius *περὶ διαφόρων λέξεων* in voce *νῆες,* ubi legitur *Δικαιώμασι τῶν πολέμων.* Restituatur *πόλεων.* Adjiciam quae a VV. DD. ad hunc Ammonii locum notata leguntur. (Edit. Valcken.) "Hanc lectionem (*πολέμων*) contra Casaubonum, qui *πόλεων* emendandam conjecerat, eximie tuetur Valesius in not. Maussaci ad Harpocrat. v. *δρυμός,* et ex fragmine, quod Ammon. servavit, libri Aristotelis argumentum subolfecit, et erudite declaravit. Nequidquam igitur *πόλεων* pro *πολέμων* Meursio placuit, et Fabricio ad Ind. Auctor.„ Jam statuere liceat, quibus

emunctae naris viris bene, quid rei subesset, suboluerit, quosque merito dicas: Emuncto lucratos esse Simone talentum.

Ibid. Lin. 16. In MS. *ὡς μεγαλορημον. . . . . ποτε.*

Ibid. Lin. 18. In MS. *ἐτῶν δὲ γενόμενος . . . . καὶ δέκα* Cfr. Vers. V. L.

Ibid. Lin. 19. *Τοῦ Πυθοῖ θεοῦ χρήσαντος.* Aristoteles septemdecim annos natus Athenas abiit, quo multi ingenui liberales ire solebant, ut celeberrimorum philosophorum scholas frequentarent. Noster et Pseudo-Ammonius tradunt eum oraculo Delphico consulto Athenas profectum esse et Socratem per aliquot annos audivisse. Fabulae. Socrates mortuus est a. 399 a. C., Aristoteles natus 384 a. C. Diotrephe archonte. Nec majorem fidem merentur, quae, ab inimicis Philosophi ficta, Athenaeus, Aelianus et Eusebius narrant, Aristotelem, dilapidato patrimonio, abiisse militatum, (quo non addunt) tandem hujus vitae generis pertaesum et ad saniorem mentem redeuntem Athenas ivisse, ut philosophiae studiis operam daret.

Ibid. Lin. 20. In MS. legitur *παρ' Ἀθήνησι φοιτᾷ* quod fluxit ex male intellecto $\overset{\theta\theta}{\alpha}$ id est *Ἀθηναίοις.*

Ibid. Lin. 21. *καὶ συνῆν . . . . . μέχρι τελευτῆς αὐτοῦ χρόνον*. Ita MS. Adjeci articulum.

Ibid. Lin. 23. *Εἰκοσαέτης τυγχάνων*. MS. Versio V. L. *cum eoque annos viginti versatus est, sicut ipse declarat.* Pseudo-Amm. *τελευτήσαντος δὲ τοῦ Σωκράτους φοιτᾷ Πλάτωνι, καὶ τούτῳ σύνεστιν ἔτη κ'.* Dionys. Halic. *καὶ συσταθεὶς Πλάτωνι χρόνον εἰκοσαετῆ διέτριψε σὺν αὐτῷ*. Aristoteles septemdecim annos natus Socratis fit discipulus, ut noster fabulatur, per tres annos: viginti annos natus audivit Platonem per annos viginti. Unde conjicere licet, olim scriptum fuisse *καὶ συνῆν τούτῳ τὸν μέχρι τελευτῆς αὐτοῦ χρόνον εἴκοσιν ἔτη εἰκοσαετὴς τυγχάνων*. et hinc fortasse fluxit accentus vitium, quod habet *εἰκοσαέτης*. Quî tamen continuo *εἰκοσαετὴς τυγχάνων* per annos viginti Platoni *συγγενέσθαι* potuit? Itaque haec postrema videntur delenda; quod si ex mente biographi (vide mox *τεσσαρακοντούτης Ἀριστοτέλης φοιτᾷ Πλάτωνι*) servanda sint, transponenda et legenda sunt ante verba *καὶ συνῆν τούτῳ κ. τ. ἑ.*, et sic se habeat locus: *μετὰ δὲ τοῦτον φοιτᾷ Πλάτωνι εἰκοσαετὴς τυγχάνων, καὶ συνῆν τούτῳ τὸν μέχρι τελευτῆς αὐτοῦ χρόνον εἴκοσιν ἔτη*. Ceterum observandum est Apollodorum in Chronicis (apud Diogenem Laërtium) dicere, Aristotelem septemdecim annos natum adiisse Platonem et per viginti annos hujus scholas frequentasse. —

A. Stahr bene observat, quo tempore Aristoteles Athenas venerit, id est a. 367 a. C. (Vidr. Clinton in Fastis Hell. p. 124). Platonem non Athenis sed Syracusis fuisse et inde revertisse secundum Corsinum a. 365 a. C. — Quod autem Stahr conjicit hinc fortasse factum esse ut, qui alicubi legissent Platonem tum per duos vel tres annos non Athenis fuisse, finxerint Aristotelem per hoc tempus Socratis fuisse discipulum, nimis quaesitum mihi videtur. Hoc unice verum existimo: biographi, qui Aristotelis sunt laudatores, hanc summam philosophi hujus commendationem esse putabant, si Socratis fuisset discipulus.

Pag. 3. Lin. 4 et 5. Habet MS. *πῇ δὲ συμπεριὼν αὐτῷ . . . . .* et compendium syllabae *ην* cum accentu gravi *καὶ γῆν*. Vitiosum *συμπεριὼν* restitui in *συμπεριϊὼν*, tum nota formula nec non accentus et compendii signo ductus inserui *θάλατταν πολλὴν*.

Ibid. Lin. 7. *σχολὴν . . . . τὸ Λύκειον*. MS. Spatium vacuum vix admittit aliam vocem praeter *Πλάτωνι*. Sed nec satis convenit haec constructio *ἀντῳκοδόμησεν Ἀριστοτέλης σχολὴν Πλάτωνι τὸ Λύκειον*, et Versio V. L. et contextus indicant nostrum scripsisse *οὐκ ἄρα ἀντῳκοδόμησεν Ἀριστοτέλης ἔτι ζῶντος Πλάτωνος τὸ Λύκειον*. Cfr. vita Arist. Pseudo-Amm. Itaque sic in textum recepi.

Ibid. Lin. 8 et 9. *ὡς Ἀριστόξενος πρῶτος ἐσυκοφάντησε, καὶ Ἀριστείδης ὕστερον.* Versio V. L. et h. l. "Sicut Aristoxenus accusavit et Aristocles postea„ et infra habet: "Sicut Aristoxenus et Aristocles posterius dicunt„ quamvis graece illic loci solum nomen Aristoxeni commemoretur. At vero quis iste h. l. apud nostrum Aristides? Aeliusne Aristides Hadriani tempore Sophista? Vitiose credo esse scriptum pro *Ἀριστοκλῆς.*

Jam quod attinet sententiam, quae tota hac phrasi inde ab *Οὐκ ἄρα ἀντῳκοδόμησεν κ. τ. ἑ.* continetur, notare lubet haec. Pleraque, quae de inimicitiis inter Platonem et Aristotelem feruntur, aut re ipsa, quod absurda sunt, refelluntur, vel seriorum tantum testimoniis nituntur, quae nec inter se congrua sunt, vel ex impuro fonte fluxerunt, id est, ex odio et invidia Platonicorum erga Peripateticos, quorum exemplum etiam multi viri eruditi Saec. XVI et XVII. secuti sunt, alii Aristotelem laudibus in coelum tollentes, alii nulla non maledicta et convicia in illum conjicientes; quum vero obtrectatores et invidi fidem exiguam, nec majorem mereantur laudatores, qui partium non veritatis studio ducti omnia laudant, difficillimum est judicare quid sit in ea re veri.

AElianus Var. Hist. Lib. IV. 9 narrat Platonem dixisse de Aristotele, "hunc in se recalcitrasse, ut muli modo geniti in matrem recalcitrare soleant„: cui quidem dicto nescio quod Platonicum inesse mihi videtur.

Idem V. H. Lib. III. 19. primam discidii causam inter Platonem et Aristotelem hanc fuisse tradit, quod hic vestitu et cultu esset elegantiore, et discipulum magister ideo vituperaverit: nec hoc abhorret, sed maxime convenit ingenio Aristotelis, qui nunquam doctor umbraticus fuit, sed in aula regum versari natus: tum Ad. Stahr in l. c. T. p. 57 nota citat Athenaeum L. 1. p. 21, ubi Hermippus idem vitium narrat de Theophrasto; videtur igitur discipulus magistri carissimi vitia etiam imitatus esse.

Jam ab omnibus viris eruditis, qui de hoc argumento scripserunt, observatum est, Aristotelem a Platone ne semel quidem memorari, quod forte accidisse vix credibile est. Porro Speusippus, non Aristoteles, Platonis fuit in academia successor: biographus noster cum aliis hoc quidem inde explicat, quod Speusippus Platonis ex sorore filius esset, sed quum multis in rebus philosophia Aristotelis differat a Platonis, jam antea discipulus saepe a magistro dissensisse, et contentiose cum illo disputasse censendus est: utrum autem rei naturae magis est consentaneum magistro succedere eum qui multa, an qui nihil in magistri doctrina sit innovaturus? Frustra enim noster biographus Platonis et Aristotelis placita inter se conciliare conatur, exemplum secutus Graecorum Aristotelis interpretum, Hieroclis, Porphyrii, aliorum. Vid. J. Th. Buhle in l. c. T. 1. p. 88.

Quo haec omnia pertineant, quisque videt: obtrectatorum et invidorum insulsas fabulas mittamus; inter Platonem et Aristotelem discidium aliquod fuisse probabile est: nec tamen odium aut invidia interfuit, ut bene noster demonstrat ex ipsis Aristotelis scriptis. Quanta reverentia et humanitate hic de magistro loquitur! Ethic. Nicom. I. 4. *τὸ δὲ καθόλου βέλτιον ἴσως ἐπισκέψασθαι καὶ διαπορῆσαι πῶς λέγεται, καίπερ προσάντους τῆς τοιαύτης ζητήσεως γινομένης διὰ τὸ φίλους ἄνδρας εἰσαγαγεῖν τὰ εἴδη. δόξειε δ' ἂν ἴσως βέλτιον εἶναι καὶ δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ γε τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας· ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.* — Infra noster ut ostendat grato erga magistrum animo fuisse Aristotelem haec affert: "*εἴπερ γάρ τις ἄλλος φαίνεται ὁ Ἀριστοτέλης καταπεπληγμένος Πλάτωνα, ἐπιγράφει γὰρ εἰς αὐτὸν,*

Βωμὸν Ἀριστοτέλης ἱδρύσατο τόνδε Πλάτωνι,

καὶ ἀλλαχοῦ περὶ αὐτοῦ φησίν·

Ἀνδρὸς, ὃν οὐδ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις."

Quae melius leguntur in Versione V. L. et apud Pseudo-Ammonium, illa habet: "aram consecravit ei in qua scripsit ita:

Aram Aristoteles fundavit hanc Platonis
Viri, quem non est conveniens malis laudare.

Apud hunc distichon ita legitur:

Βωμὸν Ἀριστοτέλης ἐνιδρύσατο τόνδε Πλάτωνος
Ἀνδρὸς, ὃν οὐδ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις.

Ubi *Πλάτωνος* recte, male *ἐνιδρ.* pro *ἱδρύσατο,* ut etiam ab Ant. Westermann edit. Paris. Firm. Didot 1850 videmus restitutum. Joanni Theophilo Buhle l. c. T. I. p. 53. hoc distichon conflatum esse videtur ex fragmento, quod occurrit in commentario Olympiodori ad Gorgiam Platonis, quodque petitum dicitur ex Aristotelis elegiis ad Eudemum: sed Aristoteli adscribi non potest, quoniam in eo in tertia persona de se loquitur Aristoteles, qui mos serius demum obtinuit. Haec Buhle. — Et vero quis talia ab ipso Aristotele profecta esse putet?

Ἐλθὼν δ' ἐς κλεινὸν Κεκροπίης δάπεδον,
Εὐσεβέως σεμνῆς φιλίης ἱδρύσατο βωμὸν
Ἀνδρὸς, ὃν οὐδ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις·
Ὃς μόνος ἢ πρῶτος θνητῶν κατέδειξεν ἐναργῶς,
Οἰκείῳ τε βίῳ καὶ μεθόδοισι λόγων
Ὡς ἀγαθός τε καὶ εὐδαίμων ἅμα γίνεται ἀνὴρ
Οὐ νῦν δ' ἔστι λαβεῖν οὐδενὶ ταῦτά ποτε.

Recte Ad. Stahr l. c. T. 1. p. 62. nihil impedire dicit, quominus credamus revera ab Aristotele Platoni dicatam esse aram, cum res per se probabilis sit; et reliquorum conjecturis nostram adjicere liceat; ex omnibus his versibus uni huic *ἀνδρὸς κ. τ. ἑ.* color

antiquus nobis inesse videtur, unus hic Aristotelis ingenio dignus, certe non a misello hujus elegiae auctore, fortasse ab ipso Aristotele confectus.

Tandem noster infra et Pseudo-Ammonius observant non potuisse Aristotelem peregrinum scholam aperire contra Platonem civem, Timotheo et Chabria hujus consanguineis tum principatum gerentibus Athenis.

Jam videamus de Aristoxeno Musico et Aristocle (cujus nomen pro Aristide reponendum esse jam supra monuimus); noster biographus longe a vero aberrat, qui censet ab his viris Aristotelem fuisse vituperatum. Aristoxenus musicus, Suida quidem teste, (Cfr. S. in voce) auditor fuit et aliorum et Aristotelis, quem defunctum contumeliis consectatus est, quod scholae successorem Theophrastum reliquisset, cum ipse magnam apud Aristotelis auditores auctoritatem obtineret: sed haec falsa esse ostendit G. L. Mahne in Diatribe de Aristoxeno Musico Amst. 1793: actum egit Ad. Stahr in l. c. T. 1. p. 52: nam Aristocle auctore (Cfr. Euseb. Praep. Evang. XV. 2) Aristoxenus Musicus fere summam Aristoteli tribuit laudem. Veri simile est Musicum Aristoxenum postea confusum esse cum alio quodam ejusdem nominis viro, Aristotelis inimico et calumniatore.

Aristocles Messenius, magister Alexandri Aphrodisiae, eximii operum Aristotelis interpretis, scripsit (Cfr. Suidas in voce) libros X de philosophia, in quibus omnes philosophos eorumque opiniones recenset:

hic id semper egit, ut summopere laudaret Aristotelem, eumque ab inimicorum criminibus defenderet. Cfr. Stahr l. c. Quae huic virorum eruditorum sententiae de Aristoxeno et Aristocle repugnare videntur, recte jam et alii explicarunt et Ad. Stahr l. c. quem describere nolo.

Pag. 3. Lin. 9. MS. habet *ἠκολούθησεν. . . . μέχρι.* Addidi *ἀλλά.*

Ibid. Lin. 10. *Καὶ ὅτι Πλάτων μὲν ἐτέχθη κ. τ. ἑ.* Pleraque Chronologica rectissime noster recenset: sed a morte Platonis Theophilo archonte $\frac{347}{348}$ a. C. usque ad mortem Aristotelis Philocle archonte $\frac{321}{322}$ a. C. non sunt anni XXIII. sed XXVI. Cfrr. Clintonis Fasti Hellenici in appendice p. 378. [1]). Tum, (quod etiam apud alios biographos reperitur) perperam Aristoteles

---

[1]) Si jam tres illos annos, quibus, ut biographi fabulantur, Aristoteles moratus est cum Socrate, addas annis XXIII, quibus *ὁ Ἀριστοτέλης ἐπέζησε Πλάτωνι*, annorum seriem obtinebis LXIII, de quibus omnium est consensus. — Ut res probe intelligatur, hoc tenendum, Aristotelem bis commoratum fuisse Athenis. Natus archonte Diotrephe Olympiadis LXXXXIX. anno 1°. sive 384 a. C. primum Athenas venit anno aetatis suae XVII archonte Polyzelo Olympiadis CIII. anno 2°. s. 367 a. C. et mansit per annos XX usque ad Platonis mortem anno a. C. $\frac{347}{348}$ s. Olympiadis CVIII. anno 1°. vel 2°., certe archonte Theophilo. Igitur tum Aristoteli aetas obtigerat annorum XXXVII: quibus si annumeres annos inter archontem Theophilum et Philoclem archontem, redeunt anni LXIII.

narratur cum Alexandro in Asiam profectus esse, et peregrinas adiisse regiones [1]: tandem ne verbum quidem injicitur, quod philosophus, Platone mortuo, venit Atarneam ad Hermiam, ibique mansit per annos tres, et quod post hujus necem Olympiadis CVIII. anno 4°. Eubulo archonte, sive 345 a. C. profectus est Mitylenen, et hinc, Philippo arcessente, Alexandri futurus praeceptor, in Macedoniam venit archonte Pythodoto Olympiadis CIX. anno 2°. sive 343 a. C. ubi mansit usque ad Olympiadis CXI annum 2dum s. 335 a. C. per annos VIII, quin tamen certo constet, quamdiu Alexandrum docuerit: A. Stahr opinatur per annos IV. Apollodorus, qui in Chronicis omnium accuratissime secundum temporis ordinem philosophi vitam recensuit, iter ejus ad Hermiam memoravit; noster, Pseudo-Ammonius et alii omiserunt, cujus rei causam invenire in promptu est; hi enim omnes id egerunt, ut summopere laudarent philosophum; omnino tacere igitur maluerunt de hoc itinere, quod obtrectatoribus Aristotelis imprimis ansam dedit eum accusandi.

---

[1]) Alexander M. Olympiadis CXI. anno 1°. s. 336. a. C. regno suscepto anno sequenti in Asiam trajecit in crebro comitatu habens etiam Callisthenem Aristotelis discipulum; ipse autem Aristoteles eodem anno i. e. Olympiadis CXI. anno 2°. s. a. C. 335 etiam Macedoniam reliquit, sed jam ut secundo abiret Athenas, ubi iterum mansit annos XIII donec Chalcidem concessit, mox ibi moriturus Olympiadis CXIV. anno 3°. sive 322. a. C.

Ibid. Lin. 11. *ἄρχοντος* .... *βιοὺς*. ita MS. Cfr. Versio V. L.

Ibid. Lin. 13. *Ἀριστοτέλης δὲ τεχθεὶς ἐπὶ διοτ* ... . *βιοὺς*. MS. Cfr. Versio V. L.

Ibid. Lin. 15. *φοιτᾷ δὲ Πλάτωνι Ἀριστοτέλης ἐπὶ να* .... *ἀπό*. MS. Cfr. ibid.

Ibid. Lin. 17. 18. *ἐφ' οὗ τελευτᾷ Ἀριστοτέλης ἔτη κγ'* .... *τωνι*. MS. Vidr. ibid.

Ibid. Lin. 18. *ὡς αὐτοὶ συκοφαντοῦντες*. MS. dedi *οὗτοι*.

Ibid. Lin. 19. *φασὶν* .... *σαρακοντούτης Ἀριστοτέλης φ* .... *οξον*. MS. Iterum Cfr. Versio V. L. Sed Eumelus apud Diog. Laërtium dicit *αὐτὸν Πλάτωνι τριακοντούτην συστῆναι*.

Ibid. Lin. 22. *τρία ἔτη ἐστὶν ἀπό* .... *Πλάτωνος*. MS.

Ibid. Lin. 22. 23. *ἀφηρημένων τῶν κ' ἐτῶν ἃ ἐσχόλασε Πλάτωνι*. Ne quid, Versione V. L. collata, excidisse putes, animadvertas auctorem Versionis V. L. non intellexisse vim vocabuli *τεσσαρακοντούτης*, (quod

vertit XL annis immoratus est) et dein de suo novam Chronologiae constituendae iniisse rationem; vel dicendus est aliam Graecam, huic nostrae prope similem biographiam aut vertisse aut contulisse.

Pag. 4. Lin. 1. 2. *διὰ τοὺς Χαβρίαν καὶ Τιμόθεον Ἀθήνησι στρατηγήσαντας*. Ita MS. Transposui *τούς*; pro *Ἀθήνησι* exspectaveris *Ἀθηναίων*, sed in hujus Graecitatis auctoribus nimis cauti esse non possumus. Pseudo-Amm. *πῶς γὰρ ἠδύνατο μέγα τότε δυναμένων Χαβρίου τε καὶ Τιμοθέου τῶν Ἀθήνησι στρατηγῶν καὶ τῷ γένει προσηκόντων τῷ Πλάτωνι;*.

Ibid. Lin. 9. *ὡς ἀναθεῖναι αὐτῷ μεθ᾽ ἑαυτῶν ἀνδριάντα*. Hujus statuae, quam Philippus et Olympias, et alterius, (vide infra) quam Athenienses Aristoteli posuerunt, nulla mentio fit apud alios scriptores.

Ibid. Lin. 10. 11. In MS. *ὁ δὲ φιλόσοφος μέγα μέρος ὢν τῆς φιλοσοφίας*. Correxi *βασιλείας* pro *φιλοσοφίας*, collato Pseudo-Ammonio, qui *ἔνθα παιδεύει Ἀλέξανδρον τὸν κτιστήν, καὶ μέγα μέρος γέγονε τῆς τούτου βασιλείας· πολλὰ γὰρ ἐδυνήθη παρὰ τῷ βασιλεῖ, καὶ τῇ δυνάμει δεόντως ἐχρήσατο εὖ ποιῶν καὶ ἑκάστῳ ἰδίᾳ καὶ πᾶσι κοινῇ*. Cfr. et Vers. V. L.

Ibid. Lin. 14. *αἱ γεγραμμέναι αὐτῷ κατὰ τοὺς βασιλέας* MS. Restitui *πρός*.

Ibid. Lin. 16. In MS. *'Ερεσσὸς*. Sed ab aliis scribitur *'Ερεσὸς*, quod praeferendum, vide Cellarium.

Ibid. Lin. 19. *πείθει τὸν 'Αλέξανδρον δεύτερον κτίζειν*, quod alii narrant jam a Philippo, philosophi precibus moto, factum esse.

Ibid. Lin. 20. 21. *Καταδιδόναι* et *Κατηγόρευσαν* in MS. sed pro hoc in margine *προσηγόρευσαν*.

Pag. 5. Lin. 9. *παρὰ μίαν*. In margine MS. *παροιμία*.

Ibid. Lin. 10. *διὰ γὰρ τὸ*. Delendum videtur *γάρ*.

Ibid. Lin. 13. *οὐδὲ τότε φιλοσοφεῖν ἀποσχόμενος*. MS. adjeci *τοῦ*.

Ibid. Lin. 25. *Οὐ γὰρ ὡς 'Αριστόξενος ὕστερον*. Scribendum videtur: *οὐ γὰρ ὡς 'Αριστόξενος ἱστορεῖ, καὶ 'Αριστοκλῆς ὕστερον*. Vide supra pag. 3, tum ea, quae ad illum locum notavimus. Caeterum quum et Aristoxenus et Aristocles, sicut ibi testimoniis luculentis ostendere sumus conati, non reprehenderint, sed summopere laudaverint philosophum, inde patet quam misere auctores harum vitarum rem suam agant, nempe *ὁμωνύμους* confundentes, apta et inepta, vera et falsa miscentes, *ἀκρισίας* ministri.

Pag. 6. Lin. 1. *ὁ Ἀριστοτέλης καταπεπληγμένος Πλάτωνα.* De discipuli erga magistrum reverentia, tum de iis, qui mox sequuntur versus, cfrr. quae supra sunt notata.

Ibid. Lin. 8. MS. *κοινωνοῦντας δὲ καί.* Dedi *κοινωνοῦντας. Εἰ δὲ καί.*

Ibid. Lin. 10. *Πλάτων γάρ ἐστιν ὁ λέγων.* Vide Phaed. 91. C. *ὑμεῖς μέντοι, ἂν ἐμοὶ πείθησθε, σμικρὸν φροντίσαντες Σωκράτους, τῆς δ' ἀληθείας πολὺ μᾶλλον, ἐὰν μέν τι ὑμῖν δοκῶ ἀληθὲς λέγειν, ξυνομολογήσασθε, εἰ δὲ μὴ κ. τ. ἑ.*

Ibid. Lin. 12. *Καί, "ἔγωγε οὐδενὶ ἄλλῳ πρόθυμός κ. τ. ἑ.,,* Cfr. Crito 40. B. *ἐγὼ τοιοῦτος οἷος τῶν ἐμῶν μηδενὶ ἄλλῳ πείθεσθαι ἢ τῷ λόγῳ, ὅς ἄν μοι λογιζομένῳ βέλτιστος φαίνηται.*

Ibid. Lin. 17. Correxi *ὑπολαβόντας* pro *ἐκλαβόντας* in MS.

Ibid. Lin. 17. *ὡς καὶ τὸ κ . . . . . τὸν τοῦ οὐρανοῦ.* Cfr. Aristoteles de coelo II. 1. Init. (*οὐρανός*) *ἐστιν ἀθάνατόν τι καὶ θεῖον τῶν ἐχόντων μὲν κίνησιν, ἐχόντων δὲ τοιαύτην, ὥστε μηθὲν εἶναι πέρας αὐτῆς, ἀλλὰ μᾶλλον ταύτην τῶν ἄλλων πέρας,* Sed ibid. in

libro 1. inde a 10 usque ad finem libri philosophus ostendit *οὐρανὸν ἀγένητον ὄντα*. Versio V. L. habet, *genitum esse coelum*. Quid itaque certo reponendum sit, incertum est. Si quid tamen in re incerta conjicere liceat, *τὸ κινητὸν*, quod in textum recepi, sine ulla haesitatione probarem, (est scilicet *οὐρανός τι ἐχόντων τοιαύτην κίνησιν, ὥστε μηθὲν εἶναι πέρας αὐτῆς*) modo *ἐν τοῖς περὶ οὐρανοῦ* huic illud epitheton additum invenissem. Nullibi tamen alio loco latere in tot tantisque Aristotelis operibus quis affirmet? praesertim quum biographus noster saepius locos Aristotelis perperam citet, ut mox v. c. ubi citat *τὰ ἠθικά*, revera autem respicit locum *ἐν τοῖς μετὰ τὰ φυσικά*, quem attulimus.

Ibid. Lin. 18. *ἐν τῇ περὶ οὐρανοῦ*. Nihil sollicitandum existimo. Cfr. in Biographis vita Hippocratis; intelligitur *βίβλος*. Caeterum negligens est noster in hujus formulae usu, modo *ἐν τῇ*, modo *ἐν τοῖς*, modo *ἐν τῷ* scribens.

Ibid. Lin. 20. *καὶ τὰς ἰδέας . . . . μετὰ τὰ φυσικά*. MS. Inserui *ἐν τοῖς*.

Ibid. Lin. 21 et 22. *Καὶ ἄλλοι ἴδια αἰσθητὰ ὑπέλαβον αὐτὰς ὁ . . . . ἀθάνατον ἵππον*. Ita legitur in MS. Versio V. L. "*et alii propria sensibilia*

arbitrati sunt ipsas ut hominem immortalem et equum. Ex his patet reponendum esse, quod fecimus, *οἷον ἄνθρωπον ἀθάνατον καὶ ἵππον*. Quod ad rem ipsam attinet, vix horum, ut nunc leguntur, quidquam intelligi potest; et biographi ipsi haud satis Platonis vel Aristotelis philosophiam intellexisse videntur. Si conjectura locum emendare, ut aliquid intelligatur, liceat, legam: *καὶ ἄλλοι ἀΐδια αἰσθητὰ ὑπέλαβον αὐτὰς* (i. e. *τὰς ἰδέας*). Scilicet qui *τὰς ἰδέας* Platonis, quae sunt *ἀΐδιοι, ἀθάνατοι*, non intelligebant, eas cum *τοῖς αἰσθητοῖς* permiscebant, quin ut unum quid idemque habebant, et sic ad *ἄνθρωπον* (*αἰσθητόν τι*) *ἀθάνατον* (*ἀΐδιόν τι*) *καὶ ἵππον* perveniebant.

Ibid. Lin. 23 et seqq. *ὅτι γὰρ οὐ βούλεται αὐτὰς παντάπασι μὴ εἶναι δηλοῖ ἐν τοῖς ἠθικοῖς λέγων δ . . . . . . εἶναι τὴν τάξιν τὴν μὲν ἐν τῷ στρατηγῷ τὴν δὲ ἐν τῷ στρατοπέδῳ καὶ αἰτίαν. . . . . καὶ ἐν τῇ*. Ita MS. Supplevi *διττὴν* et *αἰτίαν εἶναι ταύτης ἐκείνην*. Vid. Vers. V. L. ubi legimus *duplicem esse ordinem* et *alterum esse causam alterius.* Cfr. Aristotelis Metaph. XI. 10. *ἐπισκεπτέον δὲ καὶ ποτέρως ἔχει ἡ τοῦ ὅλου φύσις τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ἄριστον, πότερον κεχωρισμένον τι καὶ αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἢ τὴν τάξιν, ἢ ἀμφοτέρως, ὥσπερ στράτευμα· καὶ γὰρ ἐν τῇ τάξει τὸ εὖ καὶ ὁ στρατηγὸς, καὶ μᾶλλον οὗτος· οὐ γὰρ οὗτος διὰ τὴν τάξιν ἀλλ'*

ἐκείνῃ διὰ τοῦτόν ἐστιν. Aristoteles tamen ideas abjecisse videtur. Cfr. Metaph. I. 9. τὸ δὲ λέγειν παραδείγματα αὐτὰ (id est τὰ εἴδη) εἶναι καὶ μετέχειν αὐτῶν τἆλλα κενολογεῖν ἐστι καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικάς.

Pag. 7. Lin. 2. καὶ ἐν τῇ περὶ ψυχῆς τὸν κατ' ἐνέργειαν νοῦν εἶναι τὰ πράγματα. Eadem in Vers. V. L. Sed longe aliud quid habet Aristoteles de anima III. 7. fin. ὅλως δ' ὁ νοῦς ἐστὶν ὁ κατ' ἐνέργειαν τὰ πράγματα νοῶν. Fortasse apud nostrum, vel apud illum auctorem unde hausit, scriptum fuerit τὸν κατ' ἐνέργειαν τὰ πράγματα νοοῦντα νοῦν εἶναι.

Ibid. Lin. 3 et 4. καθόλου γὰρ ὁ Ἀριστοτέλης τὸ ἦθ . . . . γονεν. MS. Dedi τὸ ἦθος μέτριος γέγονεν. Nam Versio V. L. *multum namque Aristoteles moderatus fuit moribus.* Pseudo-Amm. μέτριος δὲ γέγονεν ὁ ἀνὴρ οὗτος τοῖς ἤθεσιν εἰς ὑπερβολήν.

Ibid. Lin. 4 et seqq. εἰ ἐν μὲν ταῖς κατηγορίαις φησὶ μὴ δεῖν προχείρως ἀποφαίνεσθαι, ἀλλὰ πολλάκις ἐπεσκεμμένον καὶ μὴ . . . . ειν μόνον ἄχρηστον εἶναι. MS. In Vers. V. L. *unde in praedicamentis aït;* itaque pro εἰ malim ἐπεί. En ipsum Aristotelis locum Categ. 7. fin. ἴσως δὲ χαλεπὸν ὑπὲρ

τῶν τοιούτων σφοδρῶς ἀποφαίνεσθαι μὴ πολλάκις ἐπεσκεμμένον. Τὸ μέντοι διηπορηκέναι ἐφ' ἑκάστου αὐτῶν οὐκ ἄχρηστόν ἐστι· Cfr. et Vers. V. L. Unde ex conjectura hiatum supplevi *μὴν οὐδὲ διαπορεῖν.*

Ibid. Lin. 7. MS. *καὶ ἐν τοῖς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ δεῖ μεμνῆσθαι ἄνθρωπον ὄντα οὐ μόνον* .... *καὶ τὸν ἀποδεικνύντα.* Liber de Bono memoratur etiam ab auctore Anonymo vitae Aristot. et a Diogene Laërt. in vita Arist. Cfr. J. Theoph. Buhle Aristot. opera omnia Biponti 1791. T. I. p. 62 et p. 20. Caeterum in Vers. V. L. *Oportet reminisci hominem existentem non solum bene fortunatum sed demonstrantem*: itaque Graeca hoc modo restituenda sunt: *δεῖ μεμνῆσθαι ἄνθρωπον ὄντα οὐ μόνον εὐδαίμονα ἀλλὰ καὶ ἀποδεικνύντα.* Simile quid habet Aristoteles Ethic. Magn. I. 4. *ἐν χρήσει τοίνυν τινὶ ἂν εἴη καὶ ἐνεργείᾳ ἡ εὐδαιμονία* et inferius *τῆς τελείας ἀρετῆς ἡ ἐνέργεια εὐδαιμονία.* Ibid. II. 10. *ἡ γὰρ εὐδαιμονία ἐστὶν ἐνέργεια.*

Ibid. Lin. 10. *καὶ ἐν τοῖς ἠθικοῖς Νικομαχείοις· φίλος μὲν ὁ ἀνήρ, φίλη δε ἡ ἀ* .... *ἀμφοῖν δὲ* MS. Vide ipsum Aristotelis locum in libro cit. I. 4. init. *ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.*

Ibid. Lin. 12 et seqq. *καὶ ἐν τοῖς μετεώροις ὧν*

. . . . ὕμεν τῶν δὲ ἐφαπτόμεθά τινα τρόπον καὶ ἐν τοῖς αὐτοῖς οὐχ ἅπαξ οὐδὲ δὶς ἀλλ' . . . . γενέσθαι τοῖς ἀνθρώποις δόξας. MS. Supplevi ὧν τὰ μὲν ἀπορoῦμεν. Cfr. Aristot. Meteor. I. 1. ἐν οἷς τὰ μὲν ἀποροῦμεν, τῶν δ' ἐφαπτόμεθά τινα τρόπον. In seqq. pro γενέσθαι in textum posui γίνεσθαι quod omnes, credo, probabunt et lacunam supplevi ἀλλ' ἀπειράκις τὰς αὐτάς. Cfr. Aristot. de Coelo I. 3. fin. οὐ γὰρ ἅπαξ, οὐδὲ δὶς, ἀλλ' ἀπειράκις δεῖ νομίζειν τὰς αὐτὰς ἀφικνεῖσθαι δόξας εἰς ἡμᾶς. Licet enim noster librum Meteor. laudet, verba ipsa, quae refert, potius e libro de Coelo petita esse videntur. Tale quid in Meteor. I. 3. οὐ γὰρ δὴ φήσομεν ἅπαξ οὐδὲ δὶς, οὐδ' ὀλιγάκις τὰς αὐτὰς δόξας ἀνακυκλεῖν γενομένας ἐν τοῖς ἀνθρώποις, ἀλλ' ἀπειράκις.

Ibid. Lin. 17. δοκοῦμεν καὶ . . . . ὁ φιλόσοφος. MS. Versio V. L. *Et talis quidem secundum vitam fuit philosophus:* quae sic Graece vertimus καὶ τοιοῦτος μὲν κατὰ τὸν βίον γέγονεν ὁ φιλόσοφος.

Ibid. Lin. 19. ἀνελέξατο . . . . . ἠθικῇ. Inserui τῇ μέν.

Ibid. Lin. 20 et seqq. τὸ τὴν εὐδαιμονίαν μήτε ἐν

τοῖς ἐκτὸς ἀποτίθεσθαι ὡς ὁ πολὺς, μήτε ἐν τῇ ψυχῇ μόνον ὡς ὁ Πλάτων. MS. Versio V. L. *Sicut Polyaenus dicit* pro *ὡς ὁ πολύς*. Sed quid hoc loco Polyaenus? Nemo sane Macedonem Polyaenum sec. V. rhetorem, Strategematum scriptorem intelligi velit. At fuit inter amicos et sectatores Epicuri, quos hic vivus in convictu habuit, mortuus admiratores expertus est, alius Polyaenus (Vid. Jacob Brucker, Instit. Hist. Philos. de philosophia Graecorum. Lib. II. C. 13. § 4). Hunc, quippe qui seculo fere post vixit, ipse Aristoteles oppugnasse dici nequit, sed respexit fortasse noster in consarcinanda hac vita. Fieri potest; et sic biographus ad eos Epicuri obtrectatores pertinuit, qui philosophum hunc quibusvis opprobriis cumulantes, ut fecit Zeno cum tota familia, quique Stoïcos inconsiderate postea secuti sunt viri cetera doctissimi, inter absurda alia eum *τὴν εὐδαιμονίαν ἐν τοῖς ἐκτὸς ἀποτίθεσθαι* dixerunt. Sed quae ratio nostro esse potuit, ut, Epicurum tangere si voluerit, pro magistro nomen discipuli Polyaeni scriberet? Sanius quid circumspiciendum. Nempe quum *τῶν πολλῶν* ista semper opinio fuerit, sitam esse *τὴν εὐδαιμονίαν ἐν τοῖς ἐκτός*, hic philosophi cujusdam nomine nihil opus est, et, quod recepi, scriptum fuisse puto *ὡς ὁ πολὺς ὄχλος*. Sic v. c. ipse Aristoteles in Ethic. Nicom. I. 2. *οἱ πολλοὶ* aliud quid *εὐδαιμονίαν* intelligunt quam *οἱ σοφοί, οἱ μὲν γὰρ τῶν ἐναργῶν τι καὶ φανερῶν οἷον ἡδονήν,*

ἢ πλοῦτον, ἢ τιμὴν κ. τ. ἑ. Ethic. Magn. I. 3. τῶν ἀγαθῶν (ἐστι) τὰ μὲν ἐν τῇ ψυχῇ, οἷον αἱ ἀρεταὶ, τὰ δὲ ἐν τῷ σώματι, οἷον ὑγίεια, κάλλος, τὰ δ' ἐκτὸς, πλοῦτος, ἀρχὴ, τιμὴ — τούτων δὲ τὰ ἐν τῇ ψυχῇ βέλτιστα.

Pag. 8. Lin. 2. τὴν πέμπτην οὐσίαν. Cfr. J Bruckeri Instit. hist. philos. De philos. Graec. Lib, II. Cap. 7. sect. 1. § 10. Intelligit noster ἐντελέχειαν, de qua Tusc. Quaest. Lib. I. C. 10 haec sunt Ciceronis: „Aristoteles longe omnibus, (Platonem semper excipio) praestans et ingenio, et diligentia, cum quatuor illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, *quintam* quandam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim, et providere, et discere et docere, et invenire aliquid, et tam multa alia meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, laetari: haec et similia eorum, in horum quatuor generum nullo inesse putat. Quintum genus adhibet, vacans nomine: et sic ipsum animum, ἐντελέχειαν appellat novo nomine, quasi quandam continuatam motionem, et perennem." De ipso vocabulo ἐντελέχεια Vidr. index Graeco-Latinus in Jo. Augusti Ernesti clavi Ciceroniana.

Ibid. Lin. 10. ἐν γὰρ τῷ πέμπτῳ τῆς φυσιολογικῆς κ. τ. ἑ. Cfr. Aristot. Phys. Acroas. V. 1. ἔστι δὲ δή τι ὃ οὔτε κατὰ συμβεβηκὸς κινεῖται οὔτε τῷ

ἄλλο τι τῶν αὑτοῦ, ἀλλὰ τῷ αὐτὸ κινεῖσθαι πρῶτον· καὶ τοῦτ' ἔστι καθ' αὑτὸ κινητόν ..... sive *καθ' αὑτὸ πρῶτον, οἷον ὁ ἰατρὸς ἰᾶται.* Philosophus varias rationes *κινήσεως* rerum indagat: nam *ἰᾶτρος* v. c. *ἅλλεται κατὰ συμβεβηκός* sed *ἰᾶτρος ἰᾶται αὐτὸς καθ' αὑτόν,* in illo est *μεταβολή*, in hoc non est. Quae quam male intellexerit biographus, vix monere necesse est. Nam triplex illa *κίνησις*, quam hoc loco Aristoteles recenset, *ἐν τοῖς ἐγκοσμίοις* esse vult, sub libri finem demum pergit ad *τι ὑπερκόσμιον.*

Ibid. Lin. 13 et seqq. *ἐν τῷ ὀγδόῳ τῆς φυσικῆς. κ. τ. ἑ.* Cfr. Aristot. Physic. Acroas. VIII. 5. fin. *φανερὸν τοίνυν ἐκ τούτων ὅτι ἔστι τὸ πρώτως κινοῦν ἀκίνητον· εἴ τε γὰρ εὐθὺς ἵσταται τὸ κινούμενον, ὑπό τινος δὲ κινούμενον, εἰς ἀκίνητον τὸ πρῶτον, εἴ τε εἰς κινούμενον μέν, αὐτὸ δ' αὑτὸ κινοῦν καὶ ἱστάν, ἀμφοτέρως συμβαίνει τὸ πρώτως κινοῦν ἐν ἅπασιν εἶναι τοῖς κινουμένοις ἀκίνητον.*

Ibid. Lin. 14 et seqq. *αὐτοῦ δὲ εὕρεμα καὶ ἡ λογικὴ τὰς συλλογιστικὰς μεθόδους τῶν πραγμάτων ἀπο .... αντος.* (Hanc terminationem indicat compendii signum quod exhibet MS.) Pseudo-Amm. *τῇ μὲν γὰρ λογικῇ προσέθηκε διακρίνας τοὺς κανόνας ἀπὸ τῶν πραγμάτων καὶ ποιήσας τὴν ἀποδεικτικὴν μέθοδον (οἱ γὰρ πάλαι ἀποδεῖξαι μὲν ᾔδεσαν,*

ἀποδείξεις δὲ ποιεῖν οὐκ ἠπίσταντο ταὐτὸ πάσχοντες τοῖς σκυτοτομεῖν μὲν μὴ δυναμένοις, ὑποδήμασι δὲ χρῆσθαι δυναμένοις). Eadem iisdem verbis habet auctor Vers. V. L. Pseudo-Ammonii loco ductus, praepositione *ἀπὸ* transposita, lacunam in hunc modum supplevi: *μεθόδους ἀπὸ τῶν πραγμάτων διακρίναντος*.

Ibid. Lin. 18. *οὐ συγχωρήσω Ἀθηναίοις δὶς ἁμαρτεῖν εἰς φιλοσοφίαν*. Addit Pseudo-Ammon. *καὶ γὰρ ἤδη τὸν Σωκράτην ἦσαν φονεύσαντες οἱ Ἀθηναῖοι*.

Ibid. Lin. 19. *Ἐπεὶ δὲ τὰ καθήκοντα ἦν*. MS. Sed in magine *τὰ αὐτὰ καθήκοντα*. Ceteroquin ut verba se illic habent, non videntur sanum reddere posse sensum; quare particulam *οὐκ*, quam aute *ἦν* excidisse puto, ibi ex conjectura reposui: tum verba *περὶ τὴν τῶν Ἀθηναίων πόλιν* vel in *ἐν τῇ τῶν Ἀθ. πόλει* commutanda vel omnino delenda esse censeo.

Ibid. Lin. 25. MS. habet *ἐκεῖσε*, pro *ἐκεῖ*. Quum Graeculi iis temporibus, quibus haec fuere scripta, soleant ejusmodi adverbia permiscere, illud *ἐκεῖσε* quamvis vitiosum retineri placuit, terminationem tamen, ut spuriam uncis inclusi.

Ibid. Lin. 26. *ἡ φέρεται παρά τε Ἀνδρονίκῳ καὶ Πτολεμαίῳ μετα . . . πίνακ. τῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων*. Ita MS. Diogenes Laërtius in vita Philosophi

ipsa testamenti verba refert. Athen. Deipnosoph. XIII. p. 589. C. testamentum citat. De Andronico Rhodio et Ptolemaeo lege Ad. Stahr in l. c. T. I. pag. 158 seq. In vers. V. L. *cum voluminibus* suorum tractatuum. David Armenius in Commentariis ineditis ad categorias Aristotelis (Cfr. Stahr in l. c. T. I. pag. 159) *τῶν Ἀριστοτελικῶν συγγραμμάτων πολλῶν ὄντων χιλίων τὸν ἀριθμὸν, ὥς φησι Πτολεμαῖος ὁ Φιλάδελφος ἀναγραφὴν αὐτῶν ποιησάμενος καὶ τὸν βίον αὐτοῦ καὶ τὴν διάθεσιν κ. τ. ἑ.* Quare scripsi *μετὰ τὸν πίνακα* (id est Catalogum) *τῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων.*

Pag. 9. Lin. 1. et 2. *ἐπὶ ..... μὲν νικομάχῳ.* MS. Versio V. L. *dimisit autem filium Nicomachum et filiam Pythiada.* Addidi *παισὶ*, quia ita hujus farinae auctores utuntur praepositione *ἐπὶ*. Cfrr. v. c. H. Clintonis Fasti Hellen. edit. C. G. Krugeri Lipsiae 1830. p, 250. ubi fragmentum Dexippi apud Syncellum citatur: "*οὓς καὶ αὐτὸς ὁ Κάσανδρος ἀνελὼν — ἑαυτὸν Μακεδόσι βασιλέα ἀνηγόρευσεν — καὶ βασιλεύσας ἔτη ιθ', φθινάδι τε νόσῳ διαλυθεὶς ἐπὶ τρισὶν υἱοῖς Φιλίππῳ, Ἀλεξάνδρῳ καὶ Ἀντιπάτρῳ.*„

Ibid. Lin. 3. *Θεοφράστῳ, φανία εὐ .... κλυτῷ.* MS. Ex Vers. L. textum restitui.

Ibid. Lin. 5. *πολλὰ μὲν δυν .... κατ'*

αὐτὸν βασιλεῦσι. MS. Versio V. L. *multa autem potuit cum regibus.* Quae Graece verti πολλὰ μὲν δυνάμενος παρὰ τοῖς κατ' αὐτὸν βασιλεῦσι.

Ibid. Lin. 7. τῇ δὲ δυνάμει ὀρ.... φιλοσοφίας χρησάμενος. Versio V. L. *plurimum autem usus est organo philosophiae.* Quum supra pro male scripto φιλοσοφίας restituerimus βασιλείας et eadem saepius bis apud nostrum occurrant, et saepe nonnulla exciderint, ut patet ex comparatione Versionis V. L., fortasse et hoc loco eadem sententia scripta fuerit τῇ δὲ δυνάμει ὀργάνῳ πρὸς εὐποιίαν χρησάμενος. In ipso tamen textu nihil mutare sum ausus, quum verba, ut se habent, tolerabilem reddant sensum, quae res supra, ubi pro φιλοσοφίας aliud nomen substitui, non erat.

Ibid. Lin. 10. ἐν τῷ περὶ οὐρανοῦ. Alibi ἐν τῇ et rursum ἐν τοῖς vide supra pag. 6. lin. 18. Ceterum de planetis locum in Aristotele indagare, aut ex probabili conjectura hiatum supplere non licuit. Hoc solum video excidisse τῶν σφαιρῶν. Multa enim Aristoteles et in libro περὶ οὐρανοῦ et in iis περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως diligenter scripsit περὶ τῶν ἀνελιττουσῶν σφαιρῶν, quum de planetarum motu ageret.

Ibid. Lin. 15. In MS. π.... θησι. Dedi προτίθησι.

Ibid. Lin. 16. *καὶ γὰρ ὅτι τὸ καθόλου οὐκ ἔστι κ. τ. ἑ.* Vide Aristot. de animo I. 1. *σκεπτέον πότερον ὁμοειδὴς ἅπασα ψυχὴ, ἢ οὔ. — νῦν μὲν γὰρ οἱ λέγοντες καὶ ζητοῦντες περὶ ψυχῆς, περὶ τῆς ἀνθρωπίνης μόνης ἐοίκασιν ἐπισκοπεῖν· εὐλαβητέον δ' ὅπως μὴ λανθάνῃ πότερον εἷς ὁ λόγος αὐτῆς ἐστὶ, καθάπερ ζῴου, ἢ καθ' ἕκαστον ἕτερος, οἷον ἵππου, κυνὸς, ἀνθρώπου, θεοῦ· τὸ δὲ ζῷον τὸ καθόλου ἤτοι οὐθέν ἐστιν ἢ ὕστερον· ὁμοίως δὲ κἂν εἴ τι κοινὸν ἄλλο κατηγοροῖτο· ἔτι δ' εἰ μὴ πολλαὶ ψυχαὶ* etc. Unde discimus quaenam sint Aristotelis verba a biographo citata, quibus suam addit observationem inde a verbis *ἀσαφὲς κ. τ. ἑ.*

Mihi nunc restat ut pauca de Versione Vetere Latina dicam, praesertim quum sub finem demum peracti laboris contigerit mihi legere P. J. Nunnesii Valentini librum, quo continetur vita Aristotelis Peripateticorum principis per Ammonium seu Philoponum, addita vetere interpretatione Latina longe auctiore nunc primum ex MS. edita Lugduni Batav. ap. Joann. Diephorst anno 1621. — Nunnesius pag. 29 hujus libri: "Hujus (vet. translat.) nos exemplar tantum unicum nacti sumus, et aliquot locis satis depravatum, et aliquando mutilum: curavimus tamen, ut potuimus, illud resti-

tuere, facta comparatione cum illa vita Graeca, quae Philopono tribuitur, licet illa multo auctior hujus contentione reddatur.„ Quae autem ipse addidit, vel emendavit, praecipue haec sunt:

Post (verum etiam sibi filium adoptavit) haec deërant in MS.: *et moriens in suo testamento jussit suam filiam*, quae bene repetivit ex vita Graeca Pseudo-Ammonii.

Pag. 58. Ad illa verba: *Iliadis dictamen*, adnotat: "poëma a barbaris vocabatur dictamen, ut constat ex eorum scriptis.„

Pag. 68. Ad verba: *Sicut ipse declarat mittens Philippo*, haec scribit Nunnesius: "haec verba non leguntur in Cod. Graeco: (Sc. Pseudo-Ammonii seu Philoponi) illa tamen sic accipio, ut mittens sit Graece ἐπιστέλλων.„ Rectissime conjecit, quod apud nostrum in Graeca vita nunc legitur.

Pag. 75. *Plato autem natus fuit Diotimo* in MS. legebatur *Dictymo.*

Pag. 83. Ad illa: *Sicut Philochorus historizavit*, sic habet: "Sic emendavimus, cum in MS. legeretur *Philotolus*. Philochorus historicus clarissimus fuit Atheniensis, de quo Suidas: is scripserat praeter alia XVII libros rerum Atticarum, qui a priscis scriptoribus passim citantur.

Pag. 86. Ad illa: *Aristoteles autem nutritus est in Macedonia*, haec scribit: "locus plane corruptus, quasi hic interpres legisset τρέφεται, cum in codice Graeco (Amm.) legatur aperte ἔρχεται. Reponendum igitur, *profectus est in Macedoniam.*„ Apud nostrum στέλλεται εἰς Μακεδονίαν quod non intellexisse videtur interpres.

Pag. 88. Ad illa: *Quod sibi construxerunt vel constituerunt cum eis statuam.* Buhlius tamen habet (ut nos etiam edidimus) *illi construxerunt* et *cum suis statuam*, dein Nunn. habet haec: "quod autem scribit *construxerunt, vel constituerunt*, idem video factitatum saepe in veteri tralatione, quam habeo M. S. commentariorum Graecorum in Aristot. Nicomachia: quod modestiae interpretis tribuendum, ut integrum sit, utro velit quis verbo Graecum reddere.„

Pag. 89. Ad verba: *potentia decenter usus est benefaciens.* "Illud *decenter* interposui ex Graeco exemplari, in quo erat δεόντως, cum in Latin. Translat. plane abesset. J. Th. Buhle pro *decenter* habet *opportune:* sed ex comparatione Translat. Vet. cum Graeca nostra patet jam in Vet. Transl. olim nec *decenter*, nec *opportune* fuisse scriptum. Idem observandum in proxime sequentibus (pag. 89) ad illa: *missae ab eo epistolae commendaticiae ad regem*, ubi Nunnesius ex

Ammonio addidit τὸ *commendaticiae*, "quod in Vetere Translat. desiderabatur„: apud Buhlium in Vet. Transl. τὸ *commendaticiae* rursus omissum est, et recte quidem, ut nunc scimus, nam neque in Graeca nostra legitur *συστατικαί*, ut apud Pseudo-Amm. seu Philoponum.

Pag. 94. Ad illa: *Scripsit Alexandro librum unum de regno*, iterum Nunnesius: "restitui τὸ *unum* ex Graeca Vita (Amm.) ubi ἐν ἑνὶ μονοβίβλῳ περὶ βασιλείας legitur„: Sed neque ἓν legitur in Graeca nostra.

Pag. 95. *Juvene autem existente — et ultro anticipatur* — hic locus recte a Nunnesio perobscurus et mendacii suspectus vocatur: Sed Buhlius haec: *et ultro anticipatur*, uti etiam in fine *Plama* uncis inclusit, uti et nos, qui in edenda Versione V. L. Buhlium secuti sumus.

Pag. 123. *Addidit autem philosophiae plura, quae ipse invenit.* Nunn. "legebatur in V. T. *elegit*, quasi Graece legeretur ἥρηκε, pro quo ego malui εὕρηκε minima mutatione, atque ita reposui *invenit.*„ Ex Graeca nostra discas et interpretem habuisse ἀνελέξατο: itaque *elegit* non mutandum est. Dein interpres fortasse vertit non *quae* sed *quam quae elegit.*

Pag. 127. Ad illa: *Philosophiae autem addidit quintam essentiam*, haec est Nunnesii nota: "hoc loco in Graeca Vita (Amm. s. Philop.) legitur verius *Physicae* — fortasse legebatur *Physicae*, et ex compendio scripturae manavit error, aut quod melius *Physiologiae*, quo verbo utitur M. Tullius.„ Rectissime Nunnesius; nam in Graeca nostra *τῇ δὲ φυσιολογίᾳ*.

Pag. 163. Ad illa: *non discedere ab evidentia. Composuit autem* etc. "Suspicor lacunam hic esse: neque desiderari tantum illa verba, quae ego addidi: *ab evidentia et composuit*, sed etiam plura.„ Rectissime addidit Nunnesius: Cfr. vita nostra Graeca, in qua leges: *Ἴδιον δὲ τῆς Ἀριστοτέλους φιλοσοφίας τὸ μὴ ἀφίστασθαι* τ ῶ ν ἐ ν α ρ γ ῶ ν.

...ſinū a hanſ uanga ſua āt þegar fell han agofit ſra fuit

t hjta međ nefa sinū a hans vanga sua at þegar fell han agǫtu fra fur
fǿtr kngi oc ꝍ reota x: tenn oꝛ hans hofði oc ækci veit hañ til sín oc nu m

E n nu i þessi oꝛꝛosto sǫkū ver vart land ok riki oc her af: mego ꝍ
hætta miklir meñ er varir ꝍu vart ængulanđ oc heđan af: vꝍe þessi
væizla miklu akafare. Oc nu riđe h.k. undia fylking Syrka oc

t hyrta meþ nefa sinn a hans vanga sua at þegar fell han agolfit fra firir
fotr kngi oc or reota .x. tenn or hans hofþi oc æpti vert han til sin oc nu m

E n nu i þessi orrosto sokum ver vart land ok riki oc her af megon
hætta mikla meþ erf. fram vart ængilande oc heþan af þe þessi
værzla miklu akafare. Oc nu riðr þ.k. i miðia fylking Syrka oc

